SANCTI PATRIS NOSTRI,

MAGNI BASILII

ARCHIEPISCOPI

CAESAREAE CAPPADOCIAE,

DE

vera atque incorrupta

VIRGINITATE

LIBER,

AD LETOIVM EPISCOPVM

MELITENSEM.

ANTONELLO ARCIMBOLDIO

interprete.

MEDIOLANI,

anno

∞ D LXXIII.

35.3.D.11 op. 6

P. FRANCISCI BVLGARI, iuriſconſulti.

Eia parcite diſputare tandem,
Quæ ſit regula recta transferendi
Græcorum in Latium uetuſta ſcripta.
Arcimboldivs en ſenator omnem
Vno, quem modo cernitis, libello
Litem mirifice reſoluit iſtam.
Quiſquis paſsibus hunc ſequetur æquis,
Vertendi genus optimum tenebit.

EIVSDEM.

Nae magnvm tibi debet, o ſenator
Antonelle, tuo hoc labore Magnus,
Magnus Cæſareæ gregis magiſter.
Negabant quaſi Romuli nepotes,
Huic, de Virginitate, *nomen eſſe*
Sat recte ipſius inditum libello,
Ante; cum legerent eum Latinum
Corruptum, illepidum, atq. inelegantem.
At, cum mirificum tuum pudorem
In uertendo, genus locutionis,
Candorem niueum litum figuris
Caſtis floridulis & integellis,
Viderunt; nihil hic que ineſſe, quod non
Præ ſe uirgineum ferat nitorem:
Iidem Romulidæ ſuapte ſponte
Omnes unanimi ore ſunt profeſsi;
Huic, de Virginitate, *nomen eſſe*
Iam recte ipſius inditum libello
Puro nunc, lepido, uenuſtuloq.

AMPLISS. CARDINALI,

IOANNI MORONO,

SVPREMI S. R. E. COLLEGII

DECANO,

ANTONELLVS ARCIMBOLDIVS.

VIRGINITATIS excellentiam, præter egregia ſacrarum litterar. teſtimonia, ſatis illud ſuperq. declarat; quod, ea virtute præſtantium, mira ſemper laus, & magna copia numquam fuit: cum tamen honos, pręſtantia quæ ſunt, alat; vigeantq. ea maxime, quæ apud quoſque magno æſtimantur. Virginitatem vero cum

dico: non eam ſolum appello, quam vulgo corporis dumtaxat integritate metimur; ſed illam etiam, quæ in quadam animi ſinceritate, dictorumq. & factor. caſtimonia poſita, ſe ſartam & tectam ab omni vitiorum contagione conſeruat. Paucitatis cauſſa quæ fuerit, verum ſi quærimus: aliam profecto vix reperiemus vllam; quam, quod plerique, Virginitatis appetentes, recti tamen itineris, quo ad eam peruenitur, ignari, non tam voluntate, quam curſus errore, falluntur. Quamobrem iure laudandus Baſilius: qui nos diutius errare non paſſus; de ſuo

lumine nobis lumen accendit; & hoc ſuo libello viam quodam modo monſtrauit, quam tenentes, id, quod ſequimur, facile conſequamur. Hunc ego, cum a cauſſarum laboribus, ſenatoriisq. muneribus aliquantiſper feriatus, deguſtaſſem: operæpretium me facturum duxi; ſi & Latinum faciendum ſumerem, & eum tuæ amplitudini dicarem. Alterum rei ſuadebat vtilitas, pari cum orationis maieſtate coniuncta; quæ iſtud ipſum ſuo quaſi iure ſibi poſtulare videbatur. Alterum ſingularia tua in me beneficia propemodum extorquebant: quor. ma

gnitudinem ſi hoc tam paruo munuſculo compenſatum iri credam, nimium ſane rebus meis arrogem; vt, qui te merito fortunarum mear. columen, decusq. vbique prædicem. ſi tamen hinc aliquod non ingrati animi ſpecimen ac documentum me daturum ſperem, animi fortaſſe non fallar· cupio quidem certe: ne apud te malum nomen exiſtimer; cui tantum me debere ſentio, quantum re ipſa numquam perſoluturum confido. Accipe igitur ampliſs. pater de manu Arcimboldii, hominis tibi deditiſsimi, hunc Baſilii libellum, non magnum il-

lum quidem & amplum, ſed doctum & elegantem tamen; quem ego latine loquentem, veluti tuæ in me beneficentiæ fructum atq. lucellum, dignitati tuæ trado: &, quando de ſorte nihil eſt, quod vel prorſus æquari, vel aliqua ratione minui poſsit; me tibi ſcientem, prudentemq. in perpetuum deuinctum ſcribe. Deus opt. max. te diu nobis, totiq. reip. Chriſtianæ ſeruet incolumem; vt, te ſtante, nos quoque ſtare poſsimus.

Mediolani, XIV kal. Octobris, anno ∞ D LXXIII.

DE VERA, ATQVE INCORRVPTA VIRGINITATE.

COMPLVRES *eorum, qui ſponſi noſtri Chriſti ueſtigiis inſiſtunt, cœleſti pulchritudinis amore perculſi, cùm alias ab aliis honeſti formas expreſſas in eccleſia uiderent; Si quidem uirginitatis laudationes, illi uerò eorum encomia, qui ieiunos ſeſe ſeruando, et humi ſæpe cubando corpus tenuant, ac ſubigunt; alij quorundam animi magnitudinem admirati, qui propter Dominũ bona ſua diuendunt; horum laudes longa ſunt oratione complexi. Sed iſtorum nemo duxit eſſe neceſſarium docere, ac tradere, quà uia, quaq; ratione ad horum unum quodq; peruenire poſſimus: uerũ ſolas ipſorum laudes ad honeſti metam pertingendam ſatis magnam uim habere cenſuit. Mihi uerò, inter ceteros Epiſcopos unanimis, atq; amice Letoie, neq; uirginitatem laudibus efferre, neq; eorum præconia colligere, qui patrimonia ſua diſtraxerunt, neq; illorum inſtitutum commendare, qui ieiuniis corpora*

terunt, et affligunt; ſed quid horum quodq; ſit, quoue modo recto curſu contendentes ad uerã uirtutem adducat, eſt iam quaſi in lucido, ac ſereno cælo tibi demonſtrare propoſitum: nõ ut te, cui hæc perſpecta ſunt omnia, contemplatione huius, atq; illius differentis inter ſe naturæ ad boni cognitionem uocem; ſed ut tecũ, quæ ſit cuiusq; natura, rimatus, non ijs ſolum, qui tuo parent imperio, in quorum præcordia germanus in reliquis uirtutibus amor tua induſtria deſcendit, uerùm omnibus omninò cæteris, ad quos hæc mea ſcripta peruenient, tamquam in quadam tabella ueræ uirginitatis pulchritudinem ſuis coloribus expictã; id eſt, quo pacto, unde, et quibus uirtutis lineamentis ornetur, diligenter inſpiciendam proponã, pariq; amore edoceam, quo modo tutius ad bonum illud attingant, ad quod ſua uoluntate properant. magnum enim quid re uera uirginitas eſt, quæ, ut paucis agam, hominem Deo immortali exæquat. hæc non à corporibus ad animas progreditur, ſed cum ab anima incorporea auelli non poſsit, ſuo illo uirginali et Deo accepto nitore corpora uindicat ab omni corruptione mortali. Ea etenim anima, quæ ueri

boni ſpeciem mente concepit, quibusdam quaſi alis incorruptione ſcilicet, ipſi ſūmo bono apta cōnectitur; cumq; ſimile ſimili, ſua nimirum incorrupta natura, ſolum immortalem Deum condignè coli perſpiciat, ad ſuæ pulchritudinis miniſterium corporis uirginitatem quaſi ancillam ſibi ſumit, eamq; pacatam ac uegetam ad Dei contemplationem cùm ſemper habere diſcupiat, turbulentas animi uoluptates, quàm longiſsimè poteſt, amandat, et abigit: adeò ut deliciarum uentris abſtinentiam corporeæ uirginitati, hanc uerò ipſam ſuæ ipſius uirginitati addicat. Quò fit, ut, cùm alia omnia, tùm ciborum frugalitatem, duram cæterarum rerum, agreſtemq; uitam uoluptatibus, quæ per ſenſus contra corporis uirginitatem confluunt, inimicam, ipſam deniq; corporis uirginitatem non aliam ob cauſam, quam propter ſeipſam honeſtè exerceat, ac conſectetur, quò, cum ſuā ipſius uirginitatem ab omni peruerſa cogitatione defenderit, ſempiterni Dei ſimilitudinem (ipſo reliqua de gratiarum ſuarum ſplendore in illam, uelut in nitidiſsimum ſpeculum transfundente) ad ſui ornatum, ac laudē rectis ſtudiis partā conſequatur, Quoniam igitur uir-

ginitas (de uera loquor, ut paulò ante præcedens oratio ſubindicat, et deinceps dilucidius apparebit) puræ, atq; integræ animæ pulchritudinis, unde hæc ipſa corporis bona efflorescũt, propria eſt; pleriq; autem dum ſolum uirginitatis nomen attendunt, ueram uirginitatem pro nihilo putant, ac negligunt: operæ pretium me facturum puto, ſi ijs, qui uirginitatis coronam capere concupiſcunt, quæ ſint agenda præſcribere, ac dictare pro uirili conabor; nedum ignorantiæ caligine circumfuſi ſummum bonũ non ſatis cernunt, in ancillæ ſeruitute omnem ætatem conterant: neue quia numquam huius dominæ deſeruierunt, nec corporis uirginitatē interiore animæ pulchritudine exornarunt, poſt multos exantlatos labores nihil proficiant, Vt igitur quid ad ueræ uirginitatis pulchritudinem attineat, apertè uidere poſſimus; agite, diſpiciamus, quem ſcopum uirgo cõtueri debeat, ut ſuam uirginitatem exerceat. Sic enim fiet, ut, dum ceu in clariſſima luce contemplamur, utrum propoſitam metam petat, an aliò intendendo, et aliud ab eo attingendo a ſcopo ſuo aberret, ex uno quoq; eius nutu diiudicemus, quænam uera uirgo dici poſſit. Placet igi-

tur, ut quomodo fœmina ad marem naturaliter ſit affecta, paulò altius repetamus, ut euolutum atq; nudatum uirginitatis ſcopum facilius conſpicemur. Cùm enim primis animãtibus, quibusdam quaſi ſeminum primordijs, rerum opifex mundum complere uellet, omni generi animantum, quamdã ueluti radicem, ex qua corporei animalis forma effingeretur, inſeuit ab initio. hanc cum in marem, et feminam à compote rationis animali in omne mutorum genus diſſeminaſſet, feminamq; à mari reſecuiſſet; utriq; ſectioni atq; particulæ incredebilem quemdam mutui complexus ardorem ingenerauit. Has inter ſe diuulſas partes tenacibus amorum nodis implicuit; ut ex eiusmodi complexu omne animantum genus è maiorem genitalibus conceptum continenter propagaret. Hinc, creſcite, inquit, et multiplicamini, et replete terram. Itaq; cum orbem terrarum, omnesq; eius oras ex uno Adam humani generis auctore ſexcentis, diuerſisq; inter ſe nationibus refertum conſtituiſſet oſtendere, cõſimiliq; ratione ex unaquaq; mutorum ſpecie, quadrupedum, ſerpentium, uolucrum deniq;, et eorum, quæ in aquis degunt innumeriſq; om-

nium omnino animalium formis uariatũ conſpici uellet, feminam quidem maris imperio, poteſtatiq; ſubiecit, marem uerò ipſum feminæ dulcedine ac iucunditate permulcet: æquũ eſſe ratus, hanc, quæ de maris latere euulſa eſt, tãquam partem ſuo toti, unde diſcerpta eſt, parere debere: hunc uerò ipſum marem appetere, quod à ſe diremptum eſt. atq; ita, dum eius coniunctionem auide ſectatur, commiſcendo ereptum membrum naturali quadam neceſſitate recuperet. qua ratione ex uno duos, et ex duobus unum rurſus, marem et feminam perſpicuè monſtrauit. Neq; uerò ob eam ſolum, quam diximus, cauſam mutuam illam membrorum collationem corpori uoluptatem creare uoluit, uerum etiam ut ex eo congreſſu amoris facibus inflãmato hominum generi quemdam coeundi aculeum infunderet. ac maſculum quidem ceu prius fabricatum, fungi; feminam uerò, ut à parte maris abreptam natura conſentire uoluit, et ne mulier ſui ſimilis prolis propagandæ ſtudio, amoris œſtro percita ut patiens auxilio deſtitueretur; mari eam totam in deliciis eſſe uoluit, ut uiolento attractu ad ſeminis profuſionem marem ad ſe rapiat: ipſa

autem nō alliciatur a mari, ſed potius ipſa ſua dulcedine marem in ſuam ſeruitutem adigat. Sicut enim Magnes lapis occulta quadam ui ei contra ferrum naturaliter inſita non ipſe ferrum ſequitur, Sed procul potius ferrum ad ſe pertrahit: Sic muliebre corpus obſcura quadam poteſtate, quam habet in marem, etiam ſic dixerim, imprudente, atq; inſcia anima maris corpus ad mutua gaudia ultrò perlicit. quod ſic rerum opifex tenuiori animali ſuffragari uolens, fieri ſtatuit; ut femina uoluptate captus, illectusq; mas non ſolum propter liberorum procreationem, ſed etiam propter ipſum coëundi appetitum, ac rabiem eius patrociniū
„ ſuſciperet. Propterea, inquit, relinquet homo
„ patrem ſuum, et matrem, non dicit relinquet matrem femina, ſed mas, qui innato furore
„ elatus ad habitandum cum femina protrudi-
„ tur. et adhærebit uxori uir, inquit, non uxor
„ uiro, et fient duo in carne una. Hanc uim et poteſtatem in marem, qui cæteris rebus erat ſuperior, femineo ſexui rerum conditor, attribuit, ipſamq; muliebris corporis compoſitionem ac ſpeciem molliorem formauit; ut et contactu, et aſpectu, motuq: ac omnium membro-

rum læuore, et dum uidetur, mari eſſet uoluptatis illecebra, quæ cuiuſuis ſenſus pulſu, ac colliſione ſtatim undiq; in eũ illaberetur. Hæc igitur ui prædicta de cauſa corporibus noſtris infixa, cum uirgo æqualem, atq; eandem re uera cernat, mari ac feminæ animam eſſe infuſam, ſed ex communi illo maris, ac feminæ affectu alteram quidem affirmari, alteram uerò maſcula uirtute roborari, cumq; ex amatorijs corporum complexibus, quibus arcte uinciuntur, multiplici perturbationum genere animas irretiri facile uideat, relicto omni corporeo, turbidoq; motu, ſemper alteram ſequi mauult. Vnde reciſo atq; amputato mutuo illo amoris uinculo, quo mas et femina uiciſſim colligantur, à corporis ſenſibus ſe maximè ſeuocat, et ad genuinum bonum enixè contendit. Hæc ad uirtutem iter affectans, non amplius cogitat, quoniam ſe cognatione contingat ſuum corpus cum maſculo; ſed cum incorpoream habeat animam, quam propè ad incorporeum quoq; Deum accedat, accerrima mentis acie perpendit, et incorporei amoris multò ſplendidiori face accenſa, laboribus pro eo exſudatis nudam ſe, atq; extorrẽ à corporeis uoluptatibus uideri ſtudet.

det. Quoniam igitur diuinum quid, et candidioris animæ propriaquædam uirtus eſt uirginitas; et eiuſmodi eſt maris ac feminæ inter ſe amor, atq; coniunctio: uirgo quæ corpori ſuo nullas muliebris uoluptatis labes inſperſerit, ſed omnes corporis motus exuta puram, integramq; ſe Deo, cuius amore teneri profitetur; præbere omni ſtudio connititur, cum cœlorum regnum præmium eſſe norit, quod ui rapiendum ſit, ad propoſitam metam ſuam ipſius naturam cogere debet: nec uoluptati ſolum imperare, quæ in hoc ſic ficto corpore animum ad nuptias irritat, ſed omne uoluptatum genus refutare, ac illarum impetum fortiter ſuſtinere. una enim in uniuerſum uoluptas cum ſit, ea tamen ueluti fons à corpore exoriens, et per quinq; ſenſus ceu quinq; fiſtulas permeans, ad ea, quæ ſenſui patent, interius dimanat. quarum unaquæq; ſua domicilij ſpecula ſuam fluxionem ad ſenſile ſuum uehementius impellens, cum omnia, quæ ſibi propria, cognitaq; uidentur, eluit, et ad ſe pertraxit, tum his ſic fimo carnis oppletis, torrentis in modum contrario curſu rurſus exterius per eaſdem feneſtras in corporis ſinuoſos uertices celerius perlabẽs atq;

rapidius fluctuātē ꝑturbationibus animā ſæpe ſubmergit. Quare neceſſe habet uirgo ſenſuum fores rationis cuſtodia obſtruere, eiſq; modicè ac tranquillè aditum ad hæc exteriora aperire. non liberam omnem uagandi licentiam dare; ne obice remoto, quo uelint, effuſi, cognatis rebus afluentes natantem cū ipſis animam ſecum deorſum trahant: et fluentē illud, quod rurſus à ſenſibus ad ipſam defertur, preſſis foraminibus ita percolare, ut ab omni labe purā ad ipſam transfundat, ne limo, quem de carne uitiosè contraxit, oblitum atq; infectum totam animam ſua turpitudine, ac fœditate cōturbet. Quare nec temerè omnibus omnino, quæ aſpectu ſentiuntur, pateſaciet oculos, nedum ſine delectu omnia figurarum, formarumq; genera demittit in mentem, cogitationibus quæ inde naſcuntur, perſæpe turbetur. quinetiam ſi propter infixam aſpiciendi neceſſitatem, quibuſdam corporis oculos aperiat, oculos mentis occludat: ad ueri autem luminis, et pulchritudinis, quæ ex eo ſplendeſcit cōtemplationem etiam clauſos ante, ſtudiosè reſeret, nec aures cuiuis ſermoni inconſideratè præbebit, ſed obſcenis uerbis, ceu cuidam fœ-

toris appulſui aditus intercludet, honeſtis uero, et à puro uirtutis fonte manantibus, eas accuratè admouebit, et arriget. Guſtatum ſuauiora ſemper inhiantem ratione frenabit, ad rerum neceſſariarum uſum habenas moderatè remittet. Tactum autem omnium ſenſuum famulum atq; mancipium, quòd ſuo lenocinio ad uoluptatem cæteros ſenſus allectet, quàm maximè poterit, intactum ab omni turbida commotione ſeruabit. Hic enim per totum corpus porrectus, atq; diffuſus, per omnem ipſius ſuperficiem non eam tantùm, quæ exterius apparet, ſed eam etiam quæ in imo abdita, uehementiores contactus excitat, in animã imperium, poteſtatemq; exercet. Manuum quoq; opportunitate uſus, eis ipſis, quibuſdam quaſi laqueis, quoſcunq; obuios irretit, et tenet. Nec uerò pacatum ſuis præſtigijs uiſum eſſe ſinit, ſed uaſto, et confuſo colore, horridiſq; figuris ipſum exaſperat, ſimulq; confudit, lauibus contra, et ad delectationem tam colore, quàm forma artificioſè compoſitis longè, latèq; eumdem profert, atq; delinit, ut hoc eodem tactu uoluptas ſuam potentiam ſatis abundèq; demonſtret. Sed et dum auditum aſperiores

uoces cogit refugere, molles contra adſpirante leniter aura in profundum pectoris demittit; ex hoc quoq; uoluptatis effectus maximè cernitur. mitto enim de guſtu loqui, quem alterum germanum huius fratrem cenſeas: quippe qui alios ſapores abhorret, ac reſpuit; dulciores autem, et paullò ſuauiores ita auidè excipit, ut inſatiabiles uentris lacunas expleat numquã. Quid autẽ de ipſis genitalibus partibus dicam? ut ingenitam ipſis uim ad ſimiles ſatus edendos per omnia ſuis delinimentis deuinciat, atq; permulceat; et propter ſuauem illarum in contrectando ſenſum, ac titilationem captiuum ea uoluptate, quæ tactu percipitur, faciat hominem? Perſpicuum eſt igitur, oculos tactu moueri, indeq; animã falſa uoluptate perfundi. oculorum enim iactibus, ceu incorporeis manibus, quæcunq; uult, procul attingens, et quæ corporeis manibus contrectari non poſſunt, oculorum ictibus iucundè complexus, quas formas menti ſemel impreſsit, ex ijs oborientibus deinde ſimulachris, et imaginibus totum corpus concutit, ac propè demergit. Auditus etiam lenes ſuaueſq; uoces tactu ſentiens, eius perſuaſu delibutam gaudio animam in frau-

dem inducit. et, ut uerba in pauca conferam, omnes ſenſus, ſicut corpus ipſum in quo uigent, commune inter ſe habent, ſic tactu, qui in ipſo eſt communiter utuntur, eoq; unumquemq; ſenſum ad ſuam peculiarẽ delectationem prouocant, et corpus noſtrum, quod totum in tactu poſitum eſt, ad omnem omnino uoluptatem uarijs modis irritant. Quando igitur omnes quidem ſenſus, maximè uero apud guſtũ, geſtum, genitabileſq; partes tactus primas obtinet, alterq; cum altero communi quodam quaſi uinculo coniunctus, ac potior tactus, modò alterius miniſterio, utitur, modò ipſe alij ancillatur; omnes autem ſenſuum functionẽ, quæ ex tactu prouenit, dum ad ſuam ipſorũ principem ac reginam uoluptatẽ tranſmittere ſtudent, magis ac magis animam corporea labe, contaminant: cumq́; uirgini propoſitum ſit, mentem ab omnibus corporis illecebris puram integramq; præſtare; iccircò tactum, qui corpori adhæret, ab anima reijcere debet, ut ſublato ab alijs ſenſibus tactũ auriga; uno eodemq́; tempore fomentum quoq; atq; materiam ad eorum oblectamenta recidat. Quid igitur illud eſt, quod tactu ipſam animam quodam-

modo corpus efficit, et alias alijs ſenſibus uoluptates diuerſimodè creat? tactus nimirum, qui in guſtu eſt, quiq; corpus coeundi appetitu grauiter titillat. Inter hos autem ipſos præcedit tactus guſtus, ſubſequitur uerò coitus; propterea quòd cùm à guſtus tactu ad edacitatẽ prouocemur, fit ut multo cibo potuq; repletum corpus leuibus quibuſdam humoribus, qui ab imo ſurſum ebulliendo tendunt, uehementiſſimè titilletur; unde ad ueneris tactum quaſi oeſtro percitus, toto impetu feratur. Oportet igitur eum, qui uelit uoluptates, quæ ex rerum uenerearum uſu capiuntur, ſua uirginitate ſuperare, ſe guſtus uoluptate, quæ illi fomenta ſuggerit, longe ſuperiorem oſtendat. ex parte enim ratione prædita, et altera experte, ut eſt in Græco, et naturali rationi accomodato cõmento, tamq; alterum centaurum cùm totum hominem rerum conditor fabricaretur, humanæ ei parti, quæ a capite ſurſum uerſus fertur, eam, quæ ab umbilico et lumbis deorſum tendit, naturæ equi ſimilem, quem uentris uoluptatibus obedientem natura finxit, quiq; ad coeundum ſine ratione mouetur, annexuit; non quòd rationis compotem partem ab eius exſor-

te uellet diſſoluere, ſed ut ratio, quæ ſibi ſubiectum uideat appetitum, naturæ neceſsitati ſapienter moderetur, ac præſit. Hinc propter eiuſmodi poteſtatem homini ipſi attributam, cum ratio non regit, ſed regitur ab appetitu, tum ſcriptura aurigæ exprobans, quòd habenas appetitus uoluptati improbe relaxa-
„rit, inquit. Equi feminarum amore inſani-
„unt, et iam unusquiſq; ad uicini uxorem adhinnit. et alibi cum ab umbilico et lumbis ap-
„petitum animo imperare ſignificaret, Ecce, in-
„quit, robur in lũbis eius, et poteſtas eius in umbilico uentris eius. Ventre enim lautè, plenéq; habito à guſtu, neceſſe eſt, ut partes quæ ex ipſo pendent, à redundanti atq; interius æſtuante humore ad naturæ functiones excitentur. nam uenter illis ſuperpoſitus faces accendit, quæ illas furore correptas uehementius inflamment; ingluuies autem de ſupero fomenta ſummittit. Imprimis igitur uirgo guſtui imperet, ut fontem ac caput uentris diliciarum, riuulòsq; ad omnem intemperantiam inde fluentes ſapienter ſuperiori ratione ſupprimat; ne, dum uirginitatem ſe putat excolere, mox guſtui immoderatè lenocinando, imprudens uirginitatem cum

alterius uoluptatis fructu non ſine ſuo magno damno commutet. Caſtum enim ipſum etiam uirginis guſtum eſſe decet, ut eum nullis edendi blanditijs corrumpi ſinat, ſed in hoc quoq; ſarctam, tectamq; prudenter ſeſe conſeruet, et dum ad neceſſaria animæ corporis officio utitur, illud ſapienter refrenet: cum æquum minimè ſit, eum, qui diligenter cauet, ne guſtus uoluptate uincatur, et hinc inde ſurgentes uentris delicias ciborum abſtinentia contundit, corporis uſum rurſus ad contraria deflectere.
„Etenim, ne declines, inquit, ad dexterã, nec „ad ſiniſtram. Nam quemadmodũ ſi quis guſtum liberum in omnia edulia ferri patiatur, re uera, ut ex iam dictis apparet, graue eſt, et minus ferendum; ſic eundem in anguſtum ita concludere, ut ex nimia imbecillitate corpus ſua munia obire nequeat, abſurdum eſt, et ab omni penitus ratione remotum. extrema enim, ut cenſuit quidam philoſophus, hoc pacto inæqualia fierent. Sicut enim equus pabuli copia, atq; ubertate luxurians, præcipitem, quocũq; uult, agit aurigam, ſic nimia eiuſdem inedia prohibet, quominus in deſtinata uia pretendas. Vt igitur nec hunc multo paſtu ſaginare decet,

ne

 13

ne immoderatis ſaltibus diuexet aurigam, eiuſq; indomitam ferocitatẽ non ſuſtinentem huc illuc circumuerſet, et agat: ita qui uirtutis ſpatium cum eo ipſo decurrere cogitat, non debet cibi ſubtractione uſque adeo eius uires atterere, ut inutilis fiat; ne huic ſic famę delaſſato inſidens, inanem laborem eius cauſſa ſuſcipiat: cũ neq; lapſum ſubleuare, et ad curſum dirigere queat, nec ipſum in uia relinquere naturalis ratio permittat; ſed propter communionem ac ſocietatem hunc deſiderare, hunc ingemiſcere, eiuſq; ualetudinis cauſa ſolicitari cogatur. et quia uires deſunt, quæ curſui neceſſaria ſubminiſtrabant, ex quadã negligentia multa poſtea de iam parta ſcientia deperdat. Quoniam ergo cognati huius nobis uehiculi habenas, dum ad curſum uirtutis emittitur, nimium relaxare, nec contra arctius debemus adſtringere; propterea corporis conſtitutionem, ac temperamentũ noſſe conuenit, ciborum itemq; uim, ac qualitatem ut uiuidum corpus, et naturali calore redundans amplius compeſcere, et calorem illorum alimẽtis diſcutere ac diſſipare ſciamus; ne ſucciplenis potionibus naturalem pinguedinẽ hac

appendice amplificantes, aut uini infuſione naturalem corporis feruorem uehementius incendentes, ut eſt apud ſapientem Græcorum, ignẽ igni ſuperaddamus, ſed potius ut inflorens et naturali calore exæſtuans corpus de fontibus purum aliquod flumen deriuemus; ut ardenti illa flamma contraria ui aquæ reſtincta ad mediocritatem ratione perducamus: ſeneſcens uerò iam atq; langueſcens grati cibi potuſq; auxilio iuuemus: qua in re non quantitatem tantũ pro uiribus corporis cum iudicio dimetiri, uerum etiam qualitatem diligenter, accuratéq; examinare oportebit: Neq; enim harum rerũ cortex, ſed intus earum latens uirtus eſt attendenda: propterea quòd non ſolum ſemina, atq; legumina, ſed etiam terra nata ſunt non pauca, quæ præter opinionem, primumq; aſpectum ei, qui pacatam uitam ciborum temperatione tranſigere cupiat, nihil prorſus utilitatis afferant; ſed potius corporis interiora uellicando, eiusmodi pruritus, titillationesq; conciunt, quæ non minus, atq; ea, quæ ſunt per ſe fugienda, nobis ignorantibus corpus fodicent; atq; conturbent. Quamobrem nec ipſo etiam ſale temerè, atq; inconſultè utemur; et ſi quoſdam

14

alios id factitantes uideamus, qui huic exercitationi uacantes, quo maior ſit eorum continentia, cetera omnia obſonia reſpuunt, et ſolũ panem ſale reſperſum condimentis omnibus anteponunt. Ignorant uidelicet, ſi, quòd, cum ſal ſit natura fœcundus, et morſiunculas quasdam corpori ingeneret, ſe corpora ſua ad uenerem nulla alia re magis incitare poſſe. Quod ſi uel in huius uſu cautè incedere oportet aurigam; quanto magis anniti debet, ut nucũ omnium, pomorumq; uim ac qualitatem teneat, quæ affinitatẽ quamdã cum ijs rebus, quæ apertè nocent, uidentur habere? parca igitur, prudentiq; manu tantum cibi ac potionis adhibeat, ut neceſſariæ corporis uires reficiantur. illa autem condimentorum uariè excogitata commenta, tamq; uoluptatis eſcam, ſuſpectoſque hamos refugiat. Si enim panis cor hominis confirmat, quorſum plus obſonij, quam cibi adhibere? cum neq; tantũ ſalis, quod eſt panis condimentum, quantum panis aſſumamus. Quòd ſi quis plus condimenti, quam eius cibi, cui illud adhibetur, ingurgitarit; quomodo principalem cibum cepiſſe dicatur, qui condimentorum copia ſuperatur? non enim re uera ipſa

erunt panis condimenta, ſed panis potius ipſorum. nec rurſus ſentiet auriga ſe alia ratione à guſtu circumuentum ad uoluptatem obſoniorum uarietate perduci. Vnde rurſus reuoluetur eò, quod ſtudioſè deuitat. Ac quemadmodum, ut paucis multa comprehendam, ex quatuor fidibus ſuaues eliciuntur concentus (ex quatuor ſi quidem elementis, terra, aqua, aere, et igne corpora noſtra conſtant) ſi gracili quidem ac fracto corpori ſemper alimentis opituletur; habitioris contra, ac uegeti uires cibi ſubtractione et honeſta exercitatione confingat, nec quantitatis ſolum caloris ac frigoris, ſed humidi ſicciq; etiã qualitatibus expenſis, has quidem quantitati adiungat, illas uerò detrahat, alias intendat, alias uictus ratione remittat, nonnullas immutet, pleraſq; in ſuo naturali temperamento conſeruet; ſic omni diſcrepantia remota concinum corporis noſtri tetrachordum ad ſummi boni concentum animam noſtram pertrahet. Sed hac de guſtus ratione in eorum gratiam, qui in uirginitatis, uel potius omnis uirtutis ſtadio decurrendo exſudant, dixiſſe ſufficiat. ex quibus ſatis apparet, ſicut, ſi corpus ſit potius ac ſuperius ani-

ma, impedimento eſt, quominus uerum bonum aſſequamur; ſic eiuſdem debilitatem cum animæ uoluntati, atq; propoſito ſubſeruire non poſſit, inſtitutum ad uirtutem curſum ſæpe perrumpere. nihilo enim magis carnis moles atq; cõgeries quæ animæ alas infrà trudit, ac deijcit, quàm corporis infirmitas, quæ ipſum curando deprimit, eam ſurſum ad cœleſtia, quo cupit, ſubuolare non ſinit; atq; ob hanc ipſam cauſam nõ ſolùm ueri boni indipiſcendi ſpe, ac facultate defraudat, ſed iam parti pulchritudinem propter ſuperuenientem ex laßitudine negligentiam dißipat, atq; confundit. Vt enim habitior uenter, non temperatione, neq; natura ita factus, ſed in quem ingluuies copioſiorem eſculentorum multitudinem inuexit, mentem commouens atque condenſans rarum ac tenue non gignit ingenium; ſic rarus nimis ac ſubtilis, lãguore, qui ex corporis debilitate procreatur, ipſum obtuſum, ac ſemimortuũ reddens, iam natum etiam atq; exortum acerrimum iudicium hebetat, et extinguit. Claret etiam non oportere nos ſtatim, atque inconſultè hos quidem cibos reijcere, illos uerò auidè arripere, ac deuorare, ſed oportere non quantitatem

dumtaxat temperantiæ regula metiri, quæ ſi ultra modum prodeat, tantumdem nocet, quàm res refutatæ ſolent; uerum etiam ipſam qualitatem acutè diiudicare, quæ non minus perſæpe poteſt officere, quàm quæ omnium opinione noxia cenſentur. In ſumma uidendum eſt, ut rationem præcipuo in honore habeamus, eamq; ducem, non temeritatem in hoc exercitationis curriculo ſequamur. Quod ſi cui tam carus eſt proximus, quam ipſe eſt ſibi, ob eamq; cau-
„ſam ei ſententiæ, quæ habet; Nudum coope-
„ruiſtis me, eſurientem pauiſtis, languentem uiſitatis, mirificè fauet, ac lubenter acquieſcit; falsò legis latoris ſenſum interpretatur, qui, dum alterum ſubleuare conatur, ſeipſum inedia crudeliter necat. Apertè enim indicat, ſe non uerè proximum diligere, qui eius cura ſuſcepta ſeipſum amare non nouit. et qui fiat, ut mandatum ritè fuiſſe exſecutum cenſeatur is, qui corporis ſerui cauſam peruerſè damnarit? quiq; colore ſeruitutis uerbera minatus, mox profuſo impetu contuſum malè tractarit? quomodo amplius hic domini ſeruus erit, qui domini miniſterio uſus eſt in inferenda ui, quam eſt ipſe perpeſſus? quomodo item domini ac

fratrum utilitati ſeruiet, qui eos, qui prodeſſe poſſunt, ſuæ ipſius curationi quaſi ſeruos omnes addicit? non enim amplius dominum in uirtutis progreſſione iuuabit, ſed accîſis cōtuſione uiribus, reliquis erit omnibus benefaciendi exemplum: quippe qui uideant dominum miſericordia dignum propter miſerias, quibus eius cauſa afficitur, ipſum uerò ſeruum miſereantur, quòd inſanabilium percuſſionū morbo laboret. Nam neq; Dominus amplius coepta opera retexere, cùm totus in huius curatione uerſetur, neq; ab eo liberè cogitationem abſtrahere poteſt, communi quodam ſocietatis uinculo conſtrictus. Sed neq; ſeruus miſericordiam nactus, eam, quam domino præſtare decet, ſeruitutem recuperare poteſt. Cū itaq; alter alteri inſanabilis doloris, ac cruciatus anſam præbuerit; hoc ſcilicet aſſequuntur, ut eadē, qua is, qui ipſos utroſq; in hunc ærumnarum carcerem detruſit, et à ludorum magiſtro, et à ſpectatoribus temeritate notentur: propterea quòd cùm inter cœleſti curſui adſcriptos relatus eſſet; furore illo à ratione auerſo occæcatus, non modo nihil eorum conſultè perfecit, quæ ſtadij curſori ex uſu eſſe ſolent;

ſed eo etiam, qui ſibi currenti non paruo futurus erat adiumento, iniuſtè deiecto, atq; proſtrato, eiuſmodi facto ſeipſum quoq; ſtultè peruertit. Quamobrem ijs qui ut ſummum bonum aſſequantur, corpus inedia conficiunt,
,, et ſubigunt, rurſus acclamabimus. Ne de-
,, clines ad dexteram, neq; ad ſiniſtram. Nam ſicut in edacitatis uiam deflectere, uitioſum eſt: ſic inediæ intenſione corpus eo uſq; traducere, ut ex infirmitate illa prorſus efficiatur inutile, ualde abſurdum eſt, et à uera ratione procul abhorrens. Non enim ipſa à uentris eiuſq; delicijs abſtinentia per ſe eſt expetenda, ſed quia non minimum confert adiumenti ijs, qui ad ſummum bonum recto tramite contendunt. Quod ſi id, cuius gratia ab epulis tantopere abſtinemus, ipſum nimia ieiunitate necemus, hac immanitate turbatus uitæ curſus reflectetur: eò quòd confracto atq; euerſo organo nō iam amplius aßidua lectione, precibuſq; Deo uacare poterit, neq; recti, honeſtiq; legibus obtemperando fratrum ſaluti, atq; utilitati conſulere. æquum eſt igitur, etiam aliquā corporis curam ſuſcipere, non eius ipſius gratia, ſed ut eius opera rectis ſtudiis inuigilare poßimus.

poſſimus. nec enim fieri poteſt, ut, niſi corporis officium præſto philoſophiæ ſemper adſit, aut reconditioris ſcientiæ lectioni uacemus, aut mentem corpore debilitatam in orationem attentè defigamus, aut eorum quidquam perficiamus, quæ ad emendatiorem uitam ſpectāt, quod in rem noſtram, propinquorumq; com-
,, pendium redundet. Iccircò, inquit, caſtigo
,, corpus meum et in ſeruitutem redigo. Si enim carnis tumore inflatum in dominum parat inſurgere, temperantiæ flagris cohibeo, atq; obſequens reddo, ut domini imperium cogatur agnoſcere. non, inquit, ſic ipſum ferio, atque percutio, ut immoderatis uerberibus ad ſeruiendum fiat inutile; ſed ea fine caſtigo, ut domitum tandem, et in ſeruitutem redactum domini dicto audiens eſſe condiſcat. Qui uerò ſeruum ita fame affligit, ut non ſolum Domini dicto parere, ſed ne ſibi quidem ipſi ſupereſſe poſſit, quid aliud, quàm ſe ſerui ſeruum conſtituit? Cum enim inedia delaſſatum corpus ſibi opem ferre poſſit nullam, neceſſe eſt dominum omnes labores excipere, et, dum ipſius uirium reparandarum cura diſtringitur, propria negotia prætermittere, atq; omnē ætatem

in huius curatione conſumere. Carni itaque non multum curæ adhibendum eſſe non abſolutè pronuntiauit, ſed propter cupiditates. illum igitur carnis appetitum, et uoluptatis incitamenta hac exercitationis falce ſuccidere decet; quod uerò ex uſu eſt honeſta petentibus, hoc ipſum prouidè, accuratèq; tueri. nõ enim compotationes nos Deo conciliant; cum neque cibus, neq; potus ſit regnum Dei, ſed iuſtitia, pax, et gratia in ſpiritu ſancto. Vnde non ſine optima ratione hæc ipſa ciborum abſtinentia introducta fuit. nam ſi ipſam per ſe ciborũ continentiam intuearis attentius, nec edendo meliores euadimus, nec abſtinendo deteriores: cũ nihilo plus non edentes, quàm edentes in uirtute proficiant, ſi ipſum ſolum edere per ſe ſpectes; nec minus quidquam aſſequuntur edentes ijs, qui non edunt, ſi ipſum tantum edere per ſe conſideretur; modò interior uirtus æquabiliter in utriſq; uigeat. oportet igitur in animæ uirtutem mentis acie defixa, omnes corporis exercitationes, experiri, ut quæ alioquin per ſe bona non ſunt, tamen quia boni miniſtræ ſunt, eius ornatæ decore bona fiant. Ne igitur huius boni ſeruitus corporis imbecillitate lãgueſcat,

paullulum, inquit, uini adhibe ad ſtomachum tuum, debileſq; crebrò uires refocillandum. Sicut enim ætate feruenti ac propemodum exſilienti corpori non debemus, ut dictũ eſt, oleum camino infundere: Sic nec eſuritione frigefacto frigidius aliquid addendo, eius incolumitatem interuertere: Sed ut tunc naturalem calorem exteriora fomenta ſubducendo lenimus atq; conſumimus, ſic eumdem labore abſumptum, et annis uel morbo penè extinctum extrinſecus petita aliqua potitione reparare debemus. Videndum eſt etiam, ut in debili corpore quatuor ea, ex quibus compacti ſumus, inter ſe ubiq; conſentiant; ne ſi aut calor, aut frigus, aut horum quatuor aliquid exſuperet, ob eiuſmodi imbecillitatem animam bello, diſſonantia, ac furore compleat. Sed hæc de uno tantum ex ſenſibus guſtu dicta ſatis ſint pro hac corporis uirginitate ſeruanda. Nunc progrediendum nobis eſt ad reliquos ſenſus, ut ueram uirginitatem, ſicut propoſitum fuit, tandem aliquando uidere poßimus. Sciendum eſt itaq; fieri poſſe, ut, qui ueræ uirginitatis ancillam ciborum abſtinentia, et aſpero reliquo uictu, cultuq; uirginali cuſtodia ſeptam habet,

in corpore caſto, ac pudico corruptam animã contineat. Nã et oculorum obtutus ſatis magnam uim habet, turpium rerum imagines animæ imprimendi, et uoluptarius ſermo ad caſtas aures delatus mentem facilè poteſt corrumpere, ut eam in aliquam intemperantiam inducat. Non enim ueretur pronubus, ne corpus corrumpatur, ſed ne eorum anima, qui ſe iã Chriſto ſpoponderunt, impudica aliqua cogitatione fœdetur. Virginis ergo munus erit, animam prius corpore accuratius ab omni labe arcere, atq; defendere: nec ſic, ut hic intra ſepta contineat, alibi, quò uult, temere ſinat excurrere, ſed ut Egregiè cuſtoditam ubique conſeruet, adeo ut neq; ab ipſius uoce profluens ſermo auditorem ad uoluptatem quaſi fucis allectet, nec rurſus aliorũ ſermo eius aures feriens ipſius mentẽ aliqua cupiditate perurat. Quod idem in oculorum motu, ac celeri conuerſione faciendum cenſeo, ut eos mollius non contorqueat, ne ex eiuſmodi aſpectu aliquos uoluptatis radios in ſuam perniciem intuentibus immitat; nec aliorum in ſe coniecto obitu ſe contingere patiatur, ne uelut ignita ſagitta corde confixo, ad uoluptatis imagines, et ſi-

„mulachra feratur incenſa. eris, enim inquit;
„ceruo ſimilis, cui iecur ſit iaculo perculſum.
Quare aliorum in ſe conuerſum aſpectum ab anima auertet, ſuos uerò oculos curabit, ut quandam continentiæ ſpeciem præſeferant, cũ uel ipſæ palpebræ extra numerum motæ ſatis cauſſæ ſint, ut quis quibuſdam quaſi aculeis, ac ſtimulis concitatus ad uoluptatem impellatur, propter quam ipſæ animam poſtea commoueant. Cum enim in uiſæ rei pulchritudinem oculos aſpectumq; altiùs paullò defixit, tùm uerò quaſi in cera; iu anima uoluptate mollita rei uiſæ formæ caracteres ſic imprimit, ut licet quandoq; recedat impreſſor, conſignata tamen animo uiſæ rei ſpecies ſuo operi intenta uariis ſimulachris, ac cogitationibus animam continenter diſtorqueat. Quapropter caueat imprimis uirgo, ne quemquam cõtentis oculis aſpiciat, aut, ſi conſpexerit, ea ſimulachra, quæ in pectus deſcendere conantur, contraria ui procul à ſe propellat, et abigat; ne diuturno, conſuetoq; rei obiectæ aſpectu aliquã corporalem ſpeciem animo cõprehendat. Quod ſi quandoq; contingat, ut aliquæ eiuſmodi formæ in ſenſus obrepant, eas perpetua rerum bo-

neſtarum cogitatione conetur euellere. et has quidẽ in corpore, quaſi in cera inſculptas mentis abſtractione, et ad diuina conuerſione inducat, eaſdemq; rurſus ſacrarum rerum meditationibus ac lucubrationibus illarum uice cõſignet. Quòd ſi impreſſas animo formas tamquam ſigillo inueteraſcere patiatur, tunc neceſſe eſt, ut in infixæ rei imagine occupata mens recta omnia atq; honeſta prætermittat, et aßidua comprehenſæ formæ meditatione perculſa, eius fruendæ deſiderio uariè afficiatur. huic autem ipſi quid retulit, incorruptum corpus tam ſolerti cura ſeruaſſe, ſi animam corporei amoris uoluptate aſpectu collecta perpetuò corrumpit? metu enim pudoreq; tacta, ne eã, quam de ſua uirginitate opinionẽ apud omnes excitauit, feſelliſſe uideatur, tantaq; gloria fraudari turpe rata, hanc quidem ſimulatè in officio continet: ceterũ amatorem ſuũ, quem iam mente concepit, continenter amplexata, cum eo perpetuo labitur, ac circunfertur. et quæ corpore perpetrare non audet, ne ſua peccata foras afferantur, hæc ipſa cogitatione perficere non erubeſcit. quam non amplius ne corpore quidem uirginem eſſe, iure quis affir-

marit. Nam cum amator ab ea nullo modo diuelli poſsit, ſed aſsiduè ei ante oculos mentis obuerſetur; neceſſe eſt etiam ipſum corpus animæ perturbationibus commoueri, ac, dũ turbidis eius motibus conſentit, principe ac regina corrupta, ipſum quoq; corrumpi, et cum illa in ſomnis amatoria ſimulachra ſibi confingat, ipſum etiam talia quædam unà cum ea in quiete uolutare. At ubi animam eiuſmodi morbus inuaſit, fruſtra poſtmodum à cibis abſtinet, et incaſſum cæterarum rerum uitam parcè, ac duriter tranſigit: cum eques non equi ſaltibus, ſed ſua culpa concutiatur, qui animo irritatus calcaribus uti neſcit. Sicut enim in pleriſq; uidere licet, qui tametſi corpore ſint tabido, ac ſenio penè confecto, mens tamen præteritæ laſciuiæ recordatione langueſcens præter uires adhuc animum uoluptatis ſimulachris mouet, et oblectat; ſic is cuius animam amor uehementius obſedit; quãuis corpus exercitatione frangat, illud tamen anima ad ſuas uoluptates inſtigat: non quòd quidquam de hoc turbulento motu in animam à corporis feruore deriuet, ſed potius ab anima ad cognatas corporis ſedes uitioſè confluat. Si ergo ſolus aſpectus tantũ

„ *creat incendium, cur non inclamanti auſcul-*
„ *mus? oculi tui recta uideant, et palpebræ tuæ*
„ *iuſta annuant, ut neq; abripiare palpebris, nec*
eiuſmet oculis capiare. Quod ſi iuxta natura-
lem rationem iam ſuperius adductam; ipſa ad
oculos aſpectus appulſio tactus eſt quidam, et
ſicut qui lippitudine laborãtes diutius ſpectãt,
ipſi eundem morbum contrahunt: contra ſi ad
ea, quæ naturaliter uiſum fouent, conuerta-
mus aſpectum, oculos noſtros ſenſim paſcimus,
ac recreamus; eadem profectò ratione qui uo-
luptatis iactibus oculos admouerint, uolupta-
tis quoq; morbo mentem refercient. Sin rurſus
eoſdem in res pulchras, honeſtasq; coniecerint,
ab oculis ad animam miras utilitates tradu-
cẽt. Quo magis turpiter, ſtultèq; facit uirgo,
quæ cum oculis lædatur, ac detrimentum ſani-
tatis accipiat, ea tamen, quæ manibus attre-
ctare nunquàm auderet, oculorum uiſu ſine
metu comprehendat. Cum enim tactus uiſus
ei (ſic dixerim) tactui, qui manibus ſuo officio
fungitur, facem quodammodo præferat, eũq;
eminus euocet; hic autem ipſe, cui manus in-
ſeruiunt; calidior famula ſit, quæ nos ad cõ-
plexus deducat; ſic, fit, ut, quæ primo ocu-
lorum

lorum tactui annuerit, nec hunc ferè poſtremum, quantũ in ſe ipſa ſit, tactum ſuffugiat. quæ uerò hoc ipſo quoque amantũ more fuerit implicita, haud facilè impudicitiæ labe carebit. Nam ut igne aduſti impreſſas eius caloris notas aliquas ſemper præſeferunt, nec fieri poteſt, ut, qui in ardentem rogum manum iniecerit, intactam inde ab urendi ui illam extrahat; ſed ſtatim poſt eiuſmodi factum aut puſtulæ turgeſcunt, quæ non ſine doloris ſenſu feruentia iam, ac proſilientia tubera mox eruptura præmonſtrant, aut in manu oborta iam cruda ulcera conſpiciuntur: ſic incredibile eſt, eã, quæ ſit amoris igne tacta, pudicum tactum ab eius ueſtigiis indicare poſſe, ſed conſimili ratione à manuum tactu intrò delapſi tumores, ipſi nimirum diri amoris affectus inſurgunt, qui ita feruеſcunt, atq; ſubſiliunt, ut aſſiduis concuſſi tremoribus, aut peccati ulcera eruptionẽ minati, aut totum iam cor exulceratũ intus „ oſtendant. Ignis enim eſt, inquit, qui omnes „ artus perurit, et quemcunq; peruaſit à ſtirpe „ conuellit. Quoniam igitur huius ignis ardor eſt in omnia membra diffuſus, qui eius notis corpora ſua nolunt inuri, caueant diligenter

ne membrum aliquod attingant, ne uim ignis in eo membro latentem eiuſmodi contactu non in eo dumtaxat membro quod tetigerint, ſed in toto corpore, in ipſa etiam anima excitet. Nã ſi quis ſerpentis caudam preſſerit, licet tanta medij corporis longitudine caput ab illa diſtet, attamen ad caudæ tactum dentes repentè conuertit, et ſi pedis noſtri digitulus uſpiam offendit, illicò capilli capitis horreſcunt; ſic profecto tactus ab aliqua animi affectione proueniens, etiam ſi in manu tantummodo fiat, corpus tamen à capite uſq; ad imos ungues ſic ad ſe trahit, ut ſtatim ad contingentis nutũ cum uoluptate conſpiret. Nam uti lapis coniectus in aquam certo loco concluſam non ſolum finitimam aquam commouet, in quam ille procidit, ſed contextos perpetuoſq; orbes exſuſcitat, donec eos fluctuando ad litus uſque perduxit: ſic amatorius aſpectus, et ſermo uoluptatis fucis illitus in uirginis animam, ceu in puram aquam altius iniectus alias atque alias quaſi in profundo cogitationes excitat, ipſamq; totã proijcientis ſpectro tranſuerberatam huc illuc exagitat. Quò circa oportet uirginem has intuitus, uociſq; delinitiones, quæ tam pernitio-

ſæ uoluptati fomenta præbent, quàm longiſſimè poteſt, à ſuis ſenſibus ablegare, ita ut auditum interiorem caſto, ſanoq; conſilio interciudat, oculos autem pro rerũ natura ſciat auertere: propterea quòd ſi ab oculis, et ab auribus ad animam aditum aperuerint, ſibiq; ſociam ſuadelam manus addiderint, tractu profectò temporis, quod uolunt, efficient. ut enim miles cum militari agmine urbẽ ingreſſus, huc atque illuc oculos conuoluens domum ſibi ſoli quærit, et ſi ui foribus prohibeatur, uel alia arte a Domino domo repellatur aliorſum mentem conuertit; ſin contra facilè intromiſſus aliquid de ſuis armis ſiue lanceam ſiue galeam, ſeu clypeum depoſuerit, etiam ſi deinde ſociorum cauſa foris egreſſus eſſe uideatur, quia tamen propter arma depoſita intus eſſe intelligitur, proprium ſibi ſuiſque ſocijs, quos non multo poſt ſecum adducit, domicilium ibi poſtea ſtatuit: ſic uoluptatis, peccatiq; miles horrendus oculos in orbem uerſando locũ ubi habitet, anquirit; et primo ingreſſu excluſus aliò ſtatim cogitationem auertit; ſin uerò ſenſus ei facilè primũ aditum ad interiora patefecerint, ut aliqua arma uel aſpectus haſtam, quæ oculis eminus ia-

culando ferit; aut galeam eius nimirum uoluptatis illecebram, quæ ex ſermone ad aures delato ſentitur, aut ſcuti loco, manuum contactum, qui totum corpus ad uoluptatem icit, ac propellit, in anima ei defigere liceat, quamuis, eò quòd corpus nondum re ipſa commiſſo peccato uulnerarit, foris eſſe uideatur; quia tamē propter defixum telum, quod mentem perpetuò terit, ac lacerat poteſtate intus eſt, propriā uoluptatis ceterarumq; perturbationum ſedē animam deligit, quæ earum aliquam introduxerit. obſtruendus eſt igitur huic carnis militi primus ille acceſſus, qui à ſenſibus incipit, ipſiq; ſenſus ceu fores quæpiam ac feneſtræ ſunt cordis repagulis firmandæ; ne, ſi earum aliquam ſuis conſutis dolis, ac ſua calliditate cōſcenderit, mortem ſuum ſocium ſecum intro-
„ ducat. Mors enim, inquit, per noſtras fene-
„ ſtras aſcendit. Re uera enim ſenſus animæ feneſtræ ſunt, quas anima uelut honeſta matrona modeſtè ac leniter aperiens, harum rerum, quæ ſenſu percipiuntur, oculis lumcn uſurpat, quo quid ſuarum partium ſit, magis inde cognoſcat. ea contrà, quæ harum externarum rerum inutili cognitione inflatur, ceu impu-

dica quædam meretrix ſic eis incumbit, ut collo ad res iucundas circumflexo aliqua uolupta te fruatur. Nam feneſtris ſuæ domus inſidens, ſi demẽs et ſtultus aliquis adoleſcens occurrat, eum ijs uerbis compellat, quibus iam propter diſſolutos profuſoſq; ſenſus ſe totam uoluptati ornauit. Pudica uerò in medio cordis tanquã in domo, cogitationum ſenſuumq; ſede poſita, ſi quid uirtuti utibile, nec ulla macula conſperſum obuerſetur, intro recipit; ſin contrà inutile ſit, et à uirtute alienum ſtatim feneſtris ſapientiæ manibus occluſis illud foras aſpellit. Videndum eſt igitur, ne qui concubitus peccatũ deuitant, in tam lubrico loco labantur. nam aſpectus uociſq; contactus ad manuũ tactum furtim deſcendit. omnes autem ipſi catenæ in modũ contexti ad complexus tactum nos quaſi manu deducunt. Non ſolum igitur unum illum in coeundo tactum, ſed omne multiplicis tactus genus, cuius omnes ſpecies ſenſus ipſi parturiunt, decet uirginem ſtudioſè accuratèq; ab omni corruptione uendicare, ut eminus ab oculis, à uoce, à ceteris uoluptariis commotionibus excitatas ſcintillas continentiæ reflatibus extinguens, ex ijſdem aſſurgens incendiũ

unà conſopiat: uel potius ut reiectis uoluptatis fomitibus nullo unquàm tempore ſinat incendium per corpus flammas expandere. Virginis ergo aſpectus, et auditus uirginalem quamdã caſtitatem redoleant, ſed et in tactu, et in omni motu illud idem obſeruet. Totam autem ueræ uirginis pulchritudinem ſic exornare cõuenit, ut neq; naturali formæ bonitate cũ oſtentatione glorietur, nec, ſi deformis ſit, accerſitis aliunde coloribus faciem cõtaminare ſtudeat. Turpe enim certè uirgini eſt, ualdeq; ab ea, quam profitetur, integritate ſemotum, aut tributis ad uenuſtatem ab opifice ornamentis efferri, et uti dixi, pulchritudinem oſtentando plures amatores corporis in eamdem ruinam ſecum trahere ſtudere; aut ſi minus egregia forma ſit, exquiſitis odoribus ad uoluptatis irritamentum naturalem faciem mentiri. nam nec prior ſatis ſanam, integramq; mentẽ oſtendit, quæ conditoris opere quaſi ſuo recte facto tantopere exſultat, et in quam arenam ne demittatur certaminis præfectum rogat, Ne nos inducas in tentationem; dum tot amatores ſecum euerrit, in eam ſe ipſam apertè contrudit. Nec poſterior, quæ, quam uoluptatis eſcam

Deus corpori non affixit, eam peregrinis ſucatiſq; coloribus accerſit. Vtraq; enim in eo labitur, quod bonum à natura tributũ extra propoſitum ſcopum dirigendo corrumpunt; dum formoſior animæ pulchritudinem corporis uenuſtate deturpat; illa uerò, quæ eam, quæ putatur deformitas inſubſidium ſeruãdæ uirginitatis adiunctam in ſuam perniciem adulterina forma tranſmutat. oportebat autem cõtra fieri, ut illa quidem fragilem hanc, caducamq; pulchritudinem pro nihilo duceret, nec corporis formoſitate animæ ſplendorem offuſcaret, ſed potius ſi ita opus foret, corporis amatores ad animam transferret, eiuſq; decorem ſua ope iuuaret. hanc uerò ipſam nihilominus ad recta, et honeſta contendere, et illam, quam formæ turpitudinem putãt, tamquàm anſam tentationum fugiendarum, et numquam defloreſcentis, et omni perturbatione uacantis pulchritudis excolendæ arripere, ac ſempiternis bonis, quaſi proprijs rectè factis cum altera decertare, cum ijs rebus, quæ temporibus gubernantur, nihil ab ea differat: Nec enim ita in promptu eſt, diiudicare quorſum ſe comant atq; perpoliant. Nam ſi ut uirginitatis propo-

ſito faueant; contra profectò, quam ſunt profeſſæ, atq; ineptè faciunt, quæ plures procos ſua pulchritudine illectent. Sin autem, ut uenuſtiores uideantur, non bellè itidem faciunt, quæ cum eius pulchritudinis, quam uenari ab omnibus ſtudent, flores à nemine delibari uelint, eius tamen cauſa tantos labores perferant. Sin uerò ut ijs etiam potiantur, quibus ſe placere ſtudent, in contrarium uitæ curſum ſe delatas apertè indicant, ut non iam uirgines, ſed meretrices audiant. Niſi fortè aliquæ etiam ſint, quæ quaſi interſectæ duorum amore diſtrahantur; atque ita dum horum amantium fructu carere nolunt, faciem communis uoluptatis illicem ſtudioſè concinnant, ſeq; totas ornatè cōponunt: dum uero interno amatore ſe perfruituras putant, timore, ac pudore correptæ à cōiunctione temperant. Neq; enim harum cogitationes à turpitudinis ſuſpicione abeſſe poſſunt, quæ ſuis blanditiis illos ineſcant, huic autē ex dimidia parte placere uolunt. etenim mens non iam amplius ſibi ipſa perfectè conſentiet, conſtabitq; ſed tamquàm in confinio poſita et ab interno, et ab externo amatore proſcindetur; cū nemo poßit duobus dominis ſeruire.

aut-

aut enim unum oderit, alterum diliget, aut unum amplexus exteriorem ſcilicet, cui ſe tota componit, interiorem alterũ aſpernabitur. Innupta uero diuinis intenta meditatur, quomodo domino fiat accepta, quæ contra nupſit, terrenis curis implexa cogitat, quomodo uiro ,, uenuſtula uideri poßit. Diuiſæ ſunt autẽ mulier et uirgo. Quoniam igitur fieri nullo modo poteſt, ut et interiori amanti placere ſtudeat, et foris ſpectatoribus ſe quaſi in ſcena paret, et exornet; uelut is, qui in ſole præceptoris orationi dat operam, neglecta umbra, quæ ipſum cõſequitur eiuſq; manuum motus, ac totius corporis figuras imitatur, totum ſe ad ſermonem præceptoris confingit, ſic uirgo debet paruifacere, utrum partes corporis honeſtam ſpeciem, an deformem aſpectũ habeant, earumq; uituperatoribus contemptis ad præceptorem ſponſumq; ſuum tota conuerſa cum eo, tamquam in purißimo lumine, in omni uita frequens adeſſe, et colloqui. Cogitat enim, quomodo dominio placeat, placet autem eiuſmodi, qualẽ ipſe fingi, fabricatiq; uoluit. Non ſolum igitur nõ ornati uirginem conuenit, nec calamiſtrata facie laſciuiuſculoq; obtutu uoluptati lenoci-

nium facere, ſed naturale quoq; corporeæ pulchritudinis lumen, quoad eius fieri poteſt, artificioſè obſcurare, ſummaq; induſtria occultare. Nam cum femina, uti ſupra traditũ fuit, mera uoluptas maris ſit, et lãguidioribus oculis prædita, ut uiſum maris iucundè moueat, uoceq; ſuauiori fabricata, ut auditum permulceat, tenerioribus deniq; corporis mẽbris, atq; adeò omni forma, motuq; iucundiori in fraudẽ uoluptatis effićta; quippe quæ non ſolũ cum loquitur, et uidetur; ſed etiam ſedens quodammodo, uel incedens propter innatam ei in marẽ uim atq; potentiam, ceu magnes ferrum ad ſe nos eminus pertrahat: propterea ſumma ope cauere debet uirgo, ne ſe uoluptatis caßibus inuoluat; Sed aſpećtum, uocemq; uirilem imitari, et inceſſu ipſo, atq; omni geſtu uoluptatis incitamenta cohibere. Nec ſe amplius ſuis commẽtis in uoluptatis laqueos inducat, uel ceteris una cum anima ſua corpus ſuũ uelut rete quoppiam tendat, ſed ad ſolidam potius, conſtantemq; uirtutis effigiem ſe modeſto inceſſu uiriliter efferat. Sic enim muliebri uoluptate à ſe remota, et maris in ipſam affećtu amputato, etiam greſſus pudicè mouebit, nec paßim laſci-

uè diuagabitur, nec præter aliquam uiginitatis neceſsitatem ſeſe in alienas domos intrudet: Verum prodeundi tempus ad debitæ uirtutis præceptum referet, et cũ aurigam ſui progreſſus domini legem habeat eius momenta in con-
,, gruas opportunaſque diei partes diſpertiat. ne
,, que enim, quia proditum eſt literis, infirmus
,, eram, et non uiſitaſtis me, et quæ ſequuntur; domini edicto indignè abutẽs paſsim ita diſcurret, ut omnibus horis præter decorum per compita uolitet, et ſe uicatim omnibus ſpectandam intempeſtiuè præbeat; ne domini præceptum in deteriorem partem accipiens, in ſui calumniã parum ſapienter illud inuertat, ſimplicemque adhuc ætatem, quo ea cumq; uelit, licentiosè progredi patiatur; ſed tenellula adhuc ad domum Dei tantum, eoq; nec incomitata procedet. Quòd ſi Domini præcepto ulterius cogatur excurrere, ſuam profectionem ijs, quorum tutelæ, atq; cuſtodiæ commiſſa fuit, ritè probet. Neq; enim in triuiis frequentem eſſe conuenit uirginem, eam, quæ matrimonij uincula auerſatur, et ſuo marte ubicunq; uagari, ne nuptias refugere uideatur, non ut pulchriori ſponſo ſemper aſsideat, ſed, ut quò rapit uoluntas,

liberam habeat diſcurrendi licentiam. Non enim ut teſte ac iudice uitæ ſuæ careat, iuri cõiunctionem reſpuit, neq; ut uitioſa illa æmulatione, quæ riualitati ſimilis eſt, ſoluta ſe quibuſcumq; uelit, liberius uolutare poßit, cum neminem habeat, qui eius geſtus, ac nutus obſeruet; ſed ut corporis uoluptates, partionis dolores, laborioſam difficilemq; hanc uitam fugiat, et ſub graui teſte, et uirtutis æmulatore Deo ſuam uiuendi rationem accommodet, Deus
„ enim inquit Zelotes ſum, qui eius ſcilicet Zelotypia uror, qui meam in uobis pulchritudinem adulterando corrumpit. Quoniam igitur hæc, quæ uiri iugum excußit, ſi nullam in partẽ huic uitæ, in quam et ad domeſticæ rei cuſtodiam, et ad liberorum procreationẽ ſuſcepta eſt, utilis ſit, et uirginitati, quam profitetur, dedecus afferat, dupliciter omnino peccat; dum et animã peruerſis cogitationibus, et corpus uagis excurſionibus corrumpit; quanto rectius ſibi conſulat, ſi uiro coniuncta eo moderatore ad ſuum uitæ curſum utatur, et rei familiaris amplificatione atq; cuſtodia illius curam compenſet? adiutoria ſenectutis, ac propagnacula optimos liberos ad generis propagationẽ ſuſcipiat? atq;

ab una ſaltem parte uiri ſcilicet Zelotypia uirginem ſe Deo præbeat? Nam has quæ uicos ac domos uagè pererrant, ne uirginis quidem nomine dignatur ueritatis oratio: ſed potius otioſæ appellandæ ſunt eæ, quæ ſic domos circumeunt, nec otioſæ tantum, ſed loquaces etiam, et curioſæ, quæ hac atq; illac perfluunt, quæ continere oportuerat. Quòd ſi uiduæ uirum iã expertæ, et in omnium oculis uerſari conſuetæ, nõ licet linguam, uel pedes ubiuis impudenter mouere ne prædictorum criminum nomine damnetur; quanto magis æquum fuerit, uiginem, cuius pudoris zonam numquam uir quiſquã ſoluit, linguam pudica custodia conſtringere? inceſſum autem ita obſeruare, ut ad neceſſarios tantum uſus ſeſe promoueat? ea enim tantum uirgo loqui debet, quæ, cũ audita fuerint, auditorũ mentibus aliquid utilitatis afferant; ut ex illorũ ſubtili, atq; acuta reſponſione animam ſuam rerum diuinarũ intelligentia magis illuſtret. Nam fluxus ille, qui lingua foras effertur, indicio eſt, qualiſnam ſit fons, unde promanat, è corde ſi quidem prodeunt peruerſæ cogitationes, cædes, adulteria, et cætera; ex quibus fructibus arbor ipſa cognoſcitur. Atqui

uera uirgo è morum puritate, ceu à pellucido fonte limpida, nec ullis ſordibus inquinata uerba proferre debet, ita ut non modò nihil noxiũ præſeferat, nihil pernicioſum, quod mentem ad cogitationẽ uoluptatis impellat, ſed ne aliquid quidem, quod non ſemper cum ratione conſentiat. Nam quicunq; de uirginis fonte nitidum ſermonem haurit, mentem quaſi incorruptionis poculo ipſe quoque debet explere, et mutua quadam uerecundia propinanti uiciſsim propinare. Atq; hanc quidem normam uirgo in loquendo ſeruabit; ſi quando loqui cogetur. uidendum eſt quippe diligentius, quibuſcum, quomodo, et quando hãc loqui decorum ferat. neq; enim honeſtas patitur, ut uirginis oratio ſe ad quoſcunque demittat, nec rurſus eum honore ac reuerentia dignis hominibus uela ſua audacter expãdat; aut præter neceſſarios uſus, præterq; perſonam, quam uirgo ſuſtinet, aliquo prorumpat, nec ſi loquendi uſus orationẽ è uirginali ore neceſſario; neceſsitatis ſimulatione ſe extra cãcellos effundat, ſed ubiq; perſonæ, uſus, opportunitatiſq; rationem habeat. Quando ergo uſus exegerit, ut loquatur, multò pauciora loquatur, quàm audierit; quando natura au-

ditus,ſermoniſq; neceſsitatem peræqua proportione dimenſa, binas aures,unam linguam nobis tribuit, perinde quaſi ad liberalem uitæ inſtitutionem duplo plura audire,et ſemicontracta oratione ad interrogata reſpondere deceat. Quamobrem ab ijs etiam,quibuſcum loquetur in tempore, multò plura audire, quàm loqui uel natura magiſtra diſcat. omnis autem eius ſermo, qui de ipſius ore mittetur, nihil aliud q̃ utilitatem audientibus opportet. Quòd ſi, ut ſcientia mentem exornet, ipſa alios interrogat, modeſtè ac uerecundè oratio prodeat. Præter hæc intra ſe maneat uirgo, et uehementius aliis
„ à domino contendat, Ponne Domine cuſtodiã
„ ori meo,et oſtium circumſtantiæ labijs meis. ſic enim os ſuum prece firmabit,eademq; opera aures obſeruet, ut nihil noxium in eas poſsit influere; cum tota mente, cuius ianuæ quietos cuſtodes auditum, linguamq; præfecit, dominũ aſ-
„ ſiduè precetur, Ne declines cor meum in uerba
„ malitiæ ad excuſandas excuſationes in pecca-
„ tis. Verum enim uerò ex ijs,quæ diximus nihil eſt magis uituperandum, nihil a uirginali candore alienius, quam uirginem non domos ſolum circumobire, ſed in nuptijs etiã quodam-

modo præire. Nam etſi per omnia honore di-
gnæ ſunt nuptiæ, alijs tamen, quam uirgini cõ-
ueniunt; nec decet eam à ſuis ueſtigijs auiam
in huius uitæ triuijs ſe reliquæ turbæ immiſce-
re: alia eſt enim uia earum, quæ ſe matrimo-
nij uinclis obſtrinxerunt, alia ſemita illarum,
quæ uirginitatem profitentur. et diuiſæ ſunt
uirgo, et nupta. Recedat igitur uirgo ab hu-
iuſmodi congreſſibus, in quibus de nuptiis agi-
tur, uel ab initio potius abſtineat. reliquæ uero,
quibus eſt in ſtudio, corporis ſponſus amplexa-
ri, eiuſmodi nuptijs, quantũ uolunt, interſint,
ſuamq; operam ac diligentiam, ſi ita placet, in
eis apparere faciant. Virgo autem ſi eiuſmodi
tebus immiſcere ſe cupiat, ſponſum ſuum ſem-
per ambiat, eiq; integras uirgines in perpetuũ
coniungere ſtudeat. At ille quidem in mortali
thalamo apparando deſudent, hæc cum prudẽ-
tibus lampade accenſa cum domino tripudiet,
ſponſumq; ſuæ uirginitatis lumine conſectata
alias ad ſuas nuptias conetur adducere. Vt
enim liberè dicam, quod ſentio, cum reliquæ
mulieres, quæ ſe maritali coniugio deuinxerũt,
antequàm præuiderent, in quas ærumnas ſe
conijcerent, nuptarũ poſtea moleſtias expertæ
tam

tam beneuolè atq; ſincerè innuptis perſuadeãt, ut ſibi ab huiuſmodi miſeriis caueant, et ſponſi nitorem, eiq; deſponſarum uirginum conſilium tantoperè extollant, ipſaſq; beatas tam in hac, quàm in futura uita tam ex animo prædicent, ut eas ad uirginitatem inflectant, impudenter, improbèq;, facit uirgo, quæ ſe in nuptiarum contractu libenter inijcit. contra enim, quàm re uera faciat, mihi facere uidetur, quæ quaſi promiſſæ uirginitatis obligatione constricta pudoris metu huic quidem ipſi stare cogatur, cæterum animi affectione nuptias approbet, ac cõfestim mærens ſe eorum uoluptate priuatam, ex ijs quæ nuptiarum gratia facit, quantum in medullis exardeat, haud obſcurè declarat, dũ nubentibus quaſi nuda conatur ostendere, ſe pari uoluptate ſuffundi cum ea, quam mox ipſæ percipient. Cum igitur uirgo, nuptaq; et uita, et moribus omnino inter ſe distent, uideat quæ ſibi agenda ſint uirgo. In primis autẽ uirginitatis ſpendorem in omni re gerenda illibatum conſeruet; ne ad ea, quæ ab honeſtate diſſentiunt, inſcitè effuſa, ea perpetret, quæ eum locum labefectent, quo ſe transferre contendit. Sed et in locutione, in reticentia, in ipſo deniq;

inceſſu, eum delectum, quem diximus, uera uirgo adhibebit. Diximus autem debere eam non temerè, atq; ut in mentem uenit, neq; ſolam, ſed prædicto modo ſtipatam mulieribus, et uitæ ſanctitate, et ætate commendatis domo prodire, nec uſquam uel in uico uel platea infami uideri, ubi improbatæ uitæ hominum cœtus haberi cōſueuerunt, ſed captato exeundi opportuno tempore talem ſe et habitu, et inceſſu, atq; adeo omni geſtu obuijs offerre, ut quibuſcunq; occurrat, tamquàm ſi Dei ſimulachrum intueantur, ſtatim religione perculſi in ipſius reuerentiam oculos inflectant; eius autem modeſtia commoniti, niſi honeſta animo agitantes, eius uiſionem aſpectumq; colant, et uelut Dei imagini de uia decedant atque aſſurgant. Nā ſicut ſatyrorum imagines, ſtatim ut uidentur, riſum ſpectatoribus mouent, aliæ item horridiores figuræ mentem uiſumq; intuentium triſtiū rerum cogitatione replent, atq; confundunt; et ſicut cum earum aliqua mouetur, nihil ſpectātium oculos afficit, ſed cum in ſenſus omnis expertè figura moueantur, uiuorum tamen affectus laceſſunt, dum quiſq; eiuſmodi motus ad ſuas res cogitationes refert: ſic uirgo continen-

tiæ ſimulachrum, uel potius uiua atque expreſſa uirtutis effigies, uel conſpecta tantummodò ſpectantiū ora, atq; oculos ad diuinarum rerū meditationem excitare debet. Peruellatur igitur animo intemperans, ac profuſus aliquis temperantiæ ſplendore ex illo uirginali aſpectu elucente commonitus. Dei meminerit, qui imaginem uidet, quæ certatim ſe in eius mandatis exercuit. In ſumma omnes uirginis intuitus, et motus ad ueri boni cogitationem trāſferat, ut omnes eius familiares mentem quodammodo perſtringant. Nemo autem quaſi ſatyri, aut aliam ad uoluptatem confictam imaginē conſpiciat, in aliquod peccatum ſe eijciat, et efferat, ne uiſione illa materiam eius uitupe-randæ, quam uidit, quaſi uirginitatem contaminarit, et ſibi ipſi maius peccandi anſam uirginis occurſu præbeat. Cū ergo uirgo Dei imago ſit, omnes eius numeros, ac lineamenta adūbrare nitatur, totamq; ſe à terrenis cutis eximat, animam à corporis uoluptate ſecernat, ac tota mente in cœleſtem amorem defixa, hæc quæ in hac uita iucunda haberi ſolent, omnia pedibus obterat, ac conculcet. Nec magis his, quæ putantur, deliciis aſſentiat, quàm earum

ſortem iuſtè miſereatur, qui tot ærumnas in hac uita tolerant. Nam ſi uarios multipliceſq; nuptæ caſus in mentem proprioſq; ſenſus reuocet, eoſq; cum ea, qua iam fruitur, uoluptate conferat, numquàm profectò illam propoſiti, factiq; ſui pœnitebit. Hæc enim mortali coniugio deuincta, cũ ad ipſius ſollicitudinẽ alia iuri cura acceßit, propter agnatũ illi ex una anima corpus gemina cogitatione diſtrahitur. nec iã amplius unius corporis gratia labores ſumit, ſed accidit, præſertim triſtibus temporibus, ut una anima ſemper et in mariti et in ſuis ipſius curam quodammodo diſcerpatur, Inde cum filiorum propagines emiſit ad unum quemque ipſorum animo diuidi, et ad reliquas miſerias natorum curam quoddam quaſi corollarium adiungere cogitur. Ac ſi bonum ſit nacta maritum ſemper metu mortis uiduitatis incõmoda ante oculos obſeruantur, quæ eam reſpirare non ſinant atque ita, ſiue domi, ſiue peregrè ſit maritus, propter inſperatos fortunæ caſus incredibili quodam ſemper moerore conficitur, ſin contra ſæuum aliquem et difficilem fuerit ſortita, omnem ætatem in moleſtiis degit, et cũ neq; uiri mortẽ propter uiduitatis infortunia,

nec uitam propter odioſam mariti moroſitatẽ honeſtè poßit optare, ſemper hærenti, atque accerrimo dolore proſcinditur. Cumq; liberos ſuſtulerit, aut eos ad aliquam bonã frugem adſpirare cernit, et propter eorum infelicitatem maiori quam partus dolore in omni uita conficitur: aut ad perniciem tendere, et maius opprobrium ſuſtinet, quòd eiuſmodi filios ſuſceperit, quàm ſi fuiſſet in ſterilitate perpetua: aut priuſquam tanta mala guſtarit, eodem ferè tempore ſponſa ſit, et uidua; tum uerò ſi ad uiduitatẽ filiis orbata peruenerit, neq; mulier, neq; uirgo, neq; mater eſt, ſed omnibus nuptiarũ opinatis bonis fraudata, et propter breuiuſculam uoluptatem uirginitatis flore polluto tantum de nuptijs delibauit, quantum ſit ſatis ad deguſtanda uiduitatis incommoda. Sin uero iu eadem uiduitate pupillos filios alendos habeat, cum eos uidet, ſtatim iuri, luctuſque memoria refricatur. atque hoc pacto in lachrimis, in ſuſpitiis, in educandorum liberorum cura uerſatur aßiduè, nec ſolum ſolatium nullũ, neque medelam reperit, quo tanto malo poßit occurrere, ſed etiam cognatis famulis tutoribus, ipſis etiam filiis iam uiris effectis, omnibus

denique, quibus placet, ei manus afferre, uelut miſerabilis præda expoſita; nihil aliud quàm acerbam, luctuoſamq; tragœdiam in omni uita huic ſæculo repræſentat. Sed quid plura commemoro? cum ſæpe mulier uirum cum dote dominum coemens è libera ſerua fiat, et tantillo uoluptatis, quod è nuptijs percipit, naturalem libertatem ſæpè diuendat, fores ſibi ad incredibiles dolores aperiat, omnium deniq; malorum fontem in ſe deriuet? Manet enim illam fixa, diraq; deteſtatio, quæ in omnium nuptijs quaſi
„ epitphalamium quoddã præcinitur, In dolori-
„ bus paries filios, et ad uirum conuerſio tua, et
„ ipſe dominabitur tibi. Virgo uerò abiecto maritali iugo, et ad dominum toto curſu delata, una cum iugo execrationis quoq; dolorem depoſuit. Fugit enim partionis anguſtias, fugit mortalis uiri ſeruitutem, omnia deniq; quæ ex nuptijs prouenire ſolent, incõmoda. Præter hæc euaſit inextricabilia huius uitæ retia, quæ nos in omne peccati genus induunt. imprimis autẽ deuitat corruptionem illam, quæ corporũ cõplexum conſequitur, integramq; ſe totam Deo deſpondet, etiam cum anima in corporis compedibus detinetur. Nec iam amplius mortalẽ

uirum cogitat, cuius in ſinum ſe recipiat, ſed tota ex ſeipſa pendens, ſe nullius opis indigam uictus frugalitate domino probare conatur. Nam cum corruptionem, ac contumelias quãdam quaſi materiam nuptijs ſubiectã uideat; ex ea quo exitu tota nuptiarum tragœdia concludatur, ſagaci ratione coniectat. Vnde amputata prima malorum materia, facile etiam, quæ ex materia exiſtunt, malitiæ radices elidit, Quocirca innupta meditatur, quæ domini ſunt, quomodo domino placeat: quæ uerò iugata eſt, quæ huius uitæ ſunt, cogitat, quomodo uiro placeat; et diuiſæ ſunt inter ſe mulier, et uirgo. Cœlebs quæ domini ſunt, ita procurat, ut ſancta ſit corpore, et ſpiritu, et cum ea, quæ hæc terrena cogitat, cura diuiſa hanc quidem, ſe mortali uiro coniunxit, in humana hæc et caduca, cogitationem ſinit abijcere; ipſa uerò ad res æternas, et ſponſo ſuo proximas mentem, animumq; conuertit. Quo fit ut harum rerum cauſa numquàm anxiè ſollicitari deprehendatur, ne cum alterius cura ſuam communicare uideatur; ſed omnibus huius uitæ angoribus procul à ſe remotis, omneſq; eius ſordes eluens, pura placidaque mente ad ſponſum rapiatur.

Neq; uerò uiri induſtriæ laboriq; diffiſa, rerum neceſſariarum cura, ut prior illa diſtringitur; ſed ipſius ergà ſe beneuolentia, et ſe ipſa contenta uirtute connixa, nihil aliud agit, nihil cogitat, quàm quomodo uiro ſuo placere poſſit, ut hac cogitatione eum, quaſi in ſui amorem magis, magiſque pelliciat. Quid autem ſibi uult, uirginem placere Deo; quàm naturalem pulchritudinem bonarum rerum ſtudio, ac diſciplina perpetim fulgentem oſtendere, et eandem puram integramq; ſeruare? Itaq; Deo placere uelle, nihil aliud eſt, quàm ſe laudabilem, beatam, et ei ſimilimam præſtare conari. Quæ uero cogitat, quo pacto domino accepta fiat, nihil quidquam compendij affert ei, cui placere ſtudet, ſed propter ſuſceptam de ipſo curam numquàm interituram pulchritudinem ſibi comparat. Quod ſi tantum lucri inde fert uirgo, ut, dum in domini gratiam ponere ſe quærit, id totum in eius utilitatem, beatitudinemq; redundet; ſumma ope cauere debet, ne ullo umquàm tempore in humanarum rerum cogitationem diuertat. Nam quatenus terrenis curis inuoluitur, neceſſe eſt, à domini cogitatione deſciſcat, ſeq; curatoris prouidẽtiæ diffidere indicet.

Neque enim credibile eſt, te, illum omnia ſuppeditare poſſe confidere, mox caducarum rerũ curis angi; eum perſpicuum eſſe debeat, ſi tu domino placere laboras, illum etiã meditari, qua ratione tibi uiciſsim placeat, qui nulla in re beneficiis ſe uinci patiatur, Nam ſi mulier quæ uirum uitæ ſuæ gubernatorem præfecit, ſuæ de ipſo ſollicitudinis præmium capit, dum cæteras omnes res uir in ſuam tutelam curamq; ſuſcipit; quanto pleniore atque uberiore menſura eius opera compenſatur, qui ſui moderationem Deo commiſsit, eumq; conuictorem elegit, cui in omnibus ab ipſo proſpicitur? habes autem fidei pignus, uel ab eius antegreſſa prouidentia. Nam ſi etiam tum, cum illi nondum placere laborares, tui curam geſsit, et ſe ipſum tui cauſa prompto, libentiq; animo tradidit; ut te ſuo ſanguine ſanctificaret; quantò magis nunc, cũ placere uis, ad te, ad ea quæ ueræ uitæ conducunt, ſuam curã extendet, et onus externo uſui prouidendi in ſe ſuſcipiet? Caueat autem diligenter domini ſponſa, ne præter neceſſarios uitæ uſus deliciis aſſeruiat, ne ue ceu uoluptaria fœmina ſuperuacanea conſectetur auidius. neq; enim domino conuenit ea concedere, quæ cum

ad corporis uoluptates delapſa fuerit, ſponſæ gratiam apud illum euertāt, nec huic ipſi ea ſumere expedit, quæ mentem ſtatim occupent, eamq; à ſtudio illi placendi abſtrahāt: Sed modum neceſſariarū uitæ rerum terminabit, extra quem non prodeat. nec ſi quandoq; harum quoq; penuria præmatur, ut hoc pacto ipſius in ſe amorem probet; ſtatim animo concidet, ac deſperatione frangetur: ſed omnia expectans, omnia ſperans, omnia ſufferens, ſimplici ueque ficto amore domino conglutinata, in mortuo penè atq; indolenti quodammodo corpore animam eius pulchritudine inſatiabiliter paſcet. Vt enim qui fluxam hanc, fragilemq; pulchritudinem depereunt, non pecunias ſolum atq; adeo omnes diuitias amoris gratia inconſultè profundunt, uerum alimenta quoq; ſomnum, ueſtitum, habitum, omnem exiſtimationem, et quod amplius eſt, corpus ipſum, uitamq; contemnunt, ut uno amore fruantur, audacter parietes, et omnia impedimenta tranſcendunt, in tela furioſè prorumpunt, nihilque minus cogitant, quàm ſatius ne ſit, ipſos conſueto more procedere, et amoris fructu carere; an mutato ueſtitu, et in decoro ſchemate reptantes, eius

uoluptate potiri: ſic qui uerè Deum amat, mẽteq; diſpicit, quomodo amaſio placeat, non patrimonium tantùm coeteraſq; peccunias negligere, ac animi putare debet, ut, dum amaſij monitis obtemperat, ſe in eius familiaritatem inſinuet; Sed etiam neceſſarium uictum, ſomnum, externum hunc habitum, et hominũ uerè corruptam opinionem, ipſum deniq; corpus deſpicatui habere, ut ad coeleſtẽ amorem perueniat, et muros ſanguine coniunctorum, parentum domos, atque hanc terrenam molem ueluti impedimenta tranſilire; in confertiſſimos martyrij gladios, ſi ita ſit opus, irruere. et, ſi donec ſolitis ueſtigijs inhæreat, amoris fructũ capere poſſit nullum, ſordidum etiam habitũ, multorumq; opprobriis expoſitum cum uoluptate perferet; ut ob ſummi boni fruendi ſpem diuino, ſic dixerim, furore, honeſtè correptus, uero amaſio ad ſacietatem uſq; potiatur. huiuſmodi amatorem cum à terrenis, humaniſq; „ affectionibus ad ſe euocare uellet amaſius, in„ quit, exi de terra tua, et de cognatione tua, et „ de domo patris tui, et ueni in terram, quam monſtrauero tibi. Ille autem quaſi optata contueretur, lubenter ſequebatur, ſe diſperſum

„ amoris gratia facilè patiebatur, inquiens,
„ Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribula
„ tio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an
„ nuditas, an periculum, an gladius? ſentiebat
enim eum, qui patrem aut matrem uero bono
in amore anteponit, indignum eſſe, qui eo frua-
tur; et qui non repudiat, quæcunq; habet, atq;
adeo ſuam ipſius animam nõ cenſetur dignus,
amicus et amator domini uocetur. Quare cũ
germanum erga illum amorem uellent expri-
mere, qui de illo tantummodo cogitant, Ecce,
„ inquiunt, nos reliquimus omnia, et ſecuti ſu-
„ mus te, quid erit nobis? hanc eorum in ſe pro-
penſionem, cum condignè remunerare uellet, iã
„ tum prædicans inquit, Amen, Amen, dico uo-
„ bis, quod uos, qui ſecuti eſtis me, in regenera-
„ tione cum ſederit filius hominis in ſede maie-
„ ſtatis ſuæ, ſedebitis et uos ſuper ſedes duodecim
„ iudicantes duodecim tribus Iſrael. et omnis,
„ qui reliquerit domum, aut agros, aut fratres,
„ aut ſorores, aut uxorem, aut filios propter no-
„ men meum centuplum accipiet, et uitam æter-
„ nam poſsidebit. erat enim rationi conſenta-
neum, ut, qui re ipſa, factiſq; caſtum et purũ
in ipſum amorem omni uita declaraſſent, ijs

præmijs cumularentur, quibus mitigarentur exhauſti pro eo ſudores. eiuſmodi amore flagrans uirgo uoluptates reijciat, pecuniam, et quas delicias uulgus exiſtimat, negliget. hanc uerò inanem hominem opinionem, faſtum, corporis pulchritudinem, et uitioſas motiones ſic miſſas faciet, ut obfirmato animo dominum ſequatur, dicatq; Mihi autem adhærere Deo Bonum eſt, ponere in domino ſpem meam. Ac ea quidē quæ in bonis ponuntur ab ijs, qui plus nimio hoc ſæculo tribuunt, qualiacumq; nominare placeat, turpia ridicula appellabit, et unum bonum ſuum nimirum ſponſum contuens, ab eo contentam oculorum aciem deijciet numquam: cum ſponſus ipſam quoque mutuo amore complexus, etiam ſi ſerua ſit, ſi obſcuro genere orta, ſi in paupertate, et hominum ignoratione uerſetur, ſi humi ſerpat. tamen propter contractam ſocietatem eam ſic extollat, atque illuſtret, ut reginā coelorum conſtituat, eiuſq; naturam non ſolum incorruptionis nobilitate condecoret, ſed exteriore quoq; ueſtitu, tamquàm ſuam ſponſam ſic uariè ſtudioſèq; concinnet, ut eius gloriam ſuſpiciens pſalmographus, ad dominum conuerſa oratione dicat,

,, *Aſtitit regina à dextris tuis in ueſtitu deau-*
,, *rato circumdata uarietate. Itaque quæ nunc obſoleta ueſte, ſeruilique ſchemate inter uiles, et abiectas numerabatur, eam mox in regno cælorum reginam, et nobilitate, honeſtoque ornatu præfulgentem regi uidemus aßiſtere. Et uerò periniquum eſt, cum ſponſus eius amore genus fortunas ignominiamque ſpreuent, atque ad extremam Adami inopiam deſcenderit, ut nos ſua egeſtate ditaret, ſponſam, quæ ad mortalitatem peruenire concupiſcat, ei, qui ſui cauſſa mortem ſubiuit, paribus officiis non reſpondere; ſed paßim in omni uoluptatum genere uolutari, pergræcati, mundo ſe componere, nec una cum eo, qui illius ergo ad inopiam ſe redegit, ſe depauperare, atque ſubmittere, ut cum ille ad ſuas diuinitatis diuitias redierit, quæ paupertatis comes paupertati ſemper affuit, in diuitiarum quoq;, et regni coeleſtis partem, ſocietatemque ueniat. Deſpiciat igitur, quidquid oculis obuerſatur, etiam ſi quibuſdam boni ſpeciem præſeferre uideatur; uel potius numq̃ aſpiciat; ſed diuina quadam mentis abſtractione,*
,, *ciuſmodi corripiebatur, qui dixit, omnis homo*

 36

mendax, à ſeniſibus, eorumq; conſeruis ſeſe ſubducens nudam mentem ſuo amore exſaturet. uideat; ne uel aſpectu, uel geſtu uel oratione in aliquem impenſe feratur: quin potius quidquid habet uirtutis et uirium, id omne ad ſui ſponſi uſum miniſteriumq; conferat. Nam cum ille omnia conſpiciat, tum imprimis quidnã clauſum geras in corpore enucleatius inquirit. Oportet autem uirginem nulla corporis parte moechari, non linguæ, non aure, non oculo, non tactu, non alio quouis ſenſu, immò uerò nec cogitatione; ſed corpus quidem ceu templum quoddam, aut genialem thalamum pulchrè inſtructum, apteq; compoſitum habere, animã uerò quæ in ipſo eſt, ceu candidam ſponſam in ſponſi lecto collocare, ac conſopire. Rimatur enim ille non ea ſolùm, quæ uiſibus ſubijciuntur humanis, ſed etiam quæ intus in mente latent. nec eſt, quod aliqua, quæ cum adultero conſueſcat, eius aſpectum fallere poſſe ſperet. Nã quæ cum mortali uirò ætatem agunt, cùm ad malitiam mente conuerſa adulterium perpetrantur, quia uiros introeuntes ex exeuntes obſeruant, et animam ad eorũ oculos aureſq; quàm maximè poſſunt, callide aduertunt; inſcienti-

tibus ipſis et obſcenos ſermones, et impudicos obtutus ſuffuratæ; auditu, uiſuq; ad perditam, atque diſſolutã uoluptatem facilè deferuntur. At quæ domino nupſit; cum neq; eius aſpectũ, neq; auditum, neq; præſentiam poßit effugere, ipſo inſpectante cuncta gerit. Quamobrem decet uirginem ſcire ſe, etiam ſi ſecum ipſa loquatur, in auribus ſpõſi loqui, licet ſola quid agat, non ignorare illum, hoc ipſum acutè perſpicere. quamuis aliquid animo uerſet, ſibi perſuadere, ſimul ut id corde agitarit, illum introrſum
„ penetrare, ac uidere. faciet enim quis, inquit,
„ in occultis, et ignorabo? et quomodo qui plan-
„ tauit aurem, non audiet? aut, qui finxit ocu-
„ lum, non conſiderat? qui corripit gentes, non
„ arguet? et quomodo qui docet hominem ſcien-
„ tiam, omnia cognoſcet, cum eius oculis nuda
„ et aperta ſint omnia? Quare homo, qui pecca-
to occæcatus ob ſuam prauitatem mentem, ſeq;
„ ipſum fallat, loquatur, ut libet, Tenebræ ope-
„ ruerunt me, et parietes in circuitu meo quis
„ me uidet? Quæ uero ſponſi clarißimum lumen
in ſuum pectus infuderit, condignè ea ſapientia, qua abundare debet unicuique exclamet,
„ Quoniam tenebræ non obſcurabuntur à te, et

nox

nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius, ita et lumen eius. Probet igitur ſuum ipſius aſpectum domini ſponſa, ut ſi ei iucundus accidat, illum fidenter uibret. Sin uerò diſpliceat, ne ſibi ipſa aſſentetur, perinde quaſi quod homines cœlarit, ipſum etiam latere debeat. Idem obſeruet in oratione, cogitatione, membrorum motu, digitorumq; cuiusq; percuſſione, ut ſi ijs domini gratiam ſentiat augeri, unum quodq; moueat; ſin contra, uereatur eius uidentis aſpectum. Nam ſi domino placere ſtudet, debet profecto ab omnibus ſibi temperare, quæ illi parum grata poſſunt accidere. Quod ſi, quia nemo uidet, ad nutus et orationem audet decurrere, uel hinc maximè ſe peccati inſimulat; quòd latendi ſtudium conſcientiã quaſi errantem intus arguit, ac remordet, ut ne addam, quod in ſponſi dignitate cœcutit; qui cum uacet corpore, ſuſurris, uiſibus, cogitationibus medius intereſt, eiusq; ſubdolum ac uerſutum conſilium auerſatur, et hanc uirginitatis famam uulgi opinionè commendatam abhorret. Nam dum oculos hominum ſe putat eludere, quaſi ſponſo ſe in omne uitæ tempus addixerit; neq; ipſius ſponſa, neq; hominis omnimodo uxor

eſt; ſed dum uirginitatis gloriam apud homines uirginali illo habitu uenatur, quem uidente ſponſo ſurripuit; ſatis eo ipſo moechatur, quod ſuam uirginitatem in uulgus oſtentat. et ante adulterij peccatum, quod in ſui ſponſi probrum committit, eum etiam improbè, grauiterq; lædit; quod hominum magis, quàm illius præſentiam reuereri uideatur: quæ coram ipſis propter probitatis opinionem, nihil ea indignũ committere audeat; in eius autem conſpectu, qui ſemper adeſt, impudenter omnia perpetrare non dubitet. Quaſi igitur ſponſus cuncta uideat, et audiat, talem ſe uirgo in omni re præbeat, nec quia uel uideat; uel audiat unius aliquis, quem neq; cœlaturum, neq; adiuturum crimen putet, ab iјs abſtinebit, quæ dominum offendunt; nec quia uir nullus adſit, ſed mulier tantum, et ex ancillari grege puella, aliquid peragat, quod ad fucatum nitorem et humanum amorem ſpectet, et domino non arrideat; ſed etiam ſi ipſa ſola ſit, nemine omninò præſente, nunquam tamen adducetur, ut indignum quicquam ſuo ſponſo committat: cùm licet nemo alius adſit, ipſa tamen ſibi uirgo ſuæ nequitiæ teſtis interſit atqui ante omnes ſe ipſam ue-

recundari debet, nec alios ceu honore ac reuerentia dignos obſeruare, ſe uerò ipsã tamquàm uerecundia indignam omni labe conſpurcare: ſed ut mox aiebam, ſeipſam, ſuamq; conſcientiam uerebitur. Vt enim ſola magis ſola ſit, cuſtodem tamen angelum ſemper adſtantem habet. Angeli eorum ſemper uident, inquit, faciem patris ueſtri qui in cœlis eſt. Cauere autẽ debet homo, ne latitantem Angeli conſpectum, cuius curæ ac diligentiæ ſalutis noſtræ ſumma concredita fuit, contemnat, et negligat; uirgo præſertim, quæ eum quaſi uirginitatis ſuæ cuſtodem, præuiumq; lumen ſequi debet. Verùm enim uerò præ Angelis ipſis, reuereatur ſponsũ ſuum ubiq; præſentem, eiusq; patrem, et ſpiritum ſanctum. Sed quid ſingula commemoro? ex Angelorũ innumerabili multitudine, et deinceps ex patrum ſanctis ſpiritibus nemo eſt, qui non omnia conſpiciat. licet enim corporeo oculorum lumine deprehendi non poßit, in corporeo tamen obtutu omnia colluſtrat, ac nouit. Quare hac etiã ratione uirgo, quæ multos ſua errata latere uelit, magis horum, qui tales tantiq; ſunt, uultus atq; ora uerebitur, quàm hominum. et quoniam multitudini ſuum pecca-

tum occultare cogitat, hos autem, quamuis ſint multitudo, fallere nulla ratione poteſt; ſequetur profectò, ut nihil admittat, quòd non cum propoſito ſuo aptè cohæreat. Hæc atq; alia huiusmodi in hac uita cogitantẽ, ſeipſam, opinor, facile armabit, atq; communiet. Cum uerò meminerit, opus eſſe, nos apparere ante tribunal Chriſti, uideat accurate non ſolum, ne quid turpiter faciat, ſed ne mente quidem uolutet. Mens enim noſtra ceu pictor aliquis, prout uult in anima, tamquam in tabella cogitationes informat, cumq; emiſſa, libera, ſuiq; iuris ſit, nec uſquam ad anguſtas picturæ regulas cogi poßit, ſed quantumlibet latum excurrendi campum habeat, quicquid placuerit, cogitationibus noſtris inſcribit. Deinde ſicuti pictor cum in obſcuro aliquo loco tabulam uaria rerum ſerie diſtinxit, eam ſtatim in bono Lumine collocat, et detractis illis uelamentis, quibus contegebatur, eam in uulgus ſpectandã ilico proponit, nec iam amplius pictas interpretatur imagines, ſed omnibus ſpectantibus etiã in poſterum picturam, ut ſe habet, uiſendam relinquit: ſic mens poſt uitæ exitũ ſublato corpore ueluti quodam inuoluero, quod animæ ta

bulam tegebat, quam in tota uita uarijs cogitationibus pinxerat, quæ in recondita parte picturata latebant, ea in Lucem profert, unde uidere licet animæ tabulam diuerſarũ rerum hiſtoria uariatam, et in omnium conſpectu poſitam. Si igitur diuinæ quædam ex ſacris lectionibus, honeſtiſq; meditationibus efficte cernantur hiſtoriæ, et mens, quæ eas pinxit, et animæ tabula, quæ eiuſmodi picturam ſuſcepit quauis laude digna cenſentur nam nec ſpectantium oculi ab earum imaginum cõtemplatione propter eorum præſtantiã dimoueri queunt: Sed quotquot intuentur, earum cuiuſq; pulchritudinem, lineamenta, ipſam deniq; Deo ſimilem picturæ formam demirãtur, diuinũq; illum pictorem ſummis efferunt laudibus, beatumq; prædicant, quod hac mortali uita perbelle uſus fuerit, qui ſub hoc corporis tegumento dies, nocteſq; præter ſpem omnium animæ tabulæ lepida, ſolertiq; manu huiuſmodi figuras impreſſerit. Sin uerò turpes, et indecoræ picturæ promineant, tum uerò pictor omnium probro, atq; irriſione ludetur; qui cum antequam animæ tabulam denudaret, magnam fortè ſpem concitaſſet, corporis poſtea obductio-

ne remota, omnia concepta ſpei contraria ſpectatoribus obtrudit. Quonam hic ergo confugiet, cum ad alterum facta collatione omnium cenſuræ ſubijciatur, dum cogitationes inuicem ſe uel accuſant, uel deffendunt? ubi autem illam animæ tabulam collocabit, quæ ſpectantiũ oculos turpiculis hiſtorijs, atq; omni prodigioſa forma confixit? Nam ut ij, quorum corpori natura næuos aliquos inſperſit, priuſquam ueſtibus enudentur, nullas apud ſe eiuſmodi maculas reſidere multis quandoq; perſuadent, perſæpe etiam Luminoſa ueſte ornati contra quam re uera ſint, formoſi interius, ex exteriori ornatu putantur. Cum autem ueſtem exuerint, ſeq; in balneo nudos oſtenderint, quia longe aliter, quam præſeferebant, corpus mille maculis foedatũ conſpiciant, ridentur ab omnibus, nec amplius cum ſemel nudatum corpus omnium oculis ſubiecerit, opus eſt quærere, ubi et quomodo illas labes ſuſceperit. Sed ſimul atq; ſe nudarit, ſtatim cuiuſq; mẽbri næuulus ſe ipſum contuentium oculis aperit: Sic cum nobis Deus corporis ueſtimenta detraxerit, nõ iam amplius animæ nœuos occultare, aut aliquo certè modo obducere integrum fuerit. Sed

in omnium conſpectu poſiti, quæ corporis ueſte abdebamus, nudata mox per omnium oculos uolitabunt. nec iam uel negandi uel ſe expurgãdi uacuus relinquetur locus, cum facta ipſa cernantur, quæ ſuo indicio auctorem prodant. Non enim confusè, aut uniuersè cuiuſq; res geſtæ diiudicabuntur, ſed ueluti in pictura minutatim, qualiſnam quæq; earum pars ſit, diligenter examinabitur. exempli cauſa, qua nam re impulſus ad adulterium de lecto deceſſerit, quibus paßibus eo peruenerit, quo motu in greßu fuerit uſus, quem ueſtitum ſumpſerit cum ad eam accederet, quanam parte irrumpens alienam uxorem contrectarit, quomodo rurſus illam nudam ad tam nefarium ſcelus ſecum adduxit: hæc in quã omnia ſingula per ſe membratim quaſi in tabella deſcripta accurate excutientur; nec ſolum quæ re ipſa commiſeris, ſed etiam animæ tabulæ infixæ cogitationes, quas nondum ad rem factaq; contuleris, in apertum proferentur. Neq; enim eſt ulla animo comprehenſa forma, nullaq; imaginaria, et cum percurſione cogitatio, quam non mens ceu quandam picturam notionis coloribus, magnitudine, ac lineamentis exprimat,

atq; deſingat. Sicut autem notarius omnium notarum formas et nomina, imò etiam ipſas octadum, tetradumq; figuras animo cōſignat, ut cum opus fuerit, quæ animi memoriæ inſculpſit, manu in tabula promat, et digerat, et alias quidē penicillo expreſſas oſtendit, quaſdam uerò nondum manu formatas, fictas tamen in animo recondit: Sic anima quaſdam notiones corpore complexa, alias ad opus ueritatemq; transfert, pleraſq; re ipſa perfectas nō oſtendit quidem, in ſe autem ipſa formatas retinet, quas ſi minus corpore, ſuo certè facto ſine corporis adminiculo ipſa per ſe ad exitum, finemq; perducit. Vt enim corporis officium eſt, corporee ſua munia obire, ſic animæ proprium eſt, ſi quid eam iucundi tetigerit, illud pro libito cogitatione perficere. Quò factum eſt ut cogitationis peccata, nō tamquam imaginariæ, ſed ut res in anima geſtæ iure ac merito plectantur. Sicut igitur ille quamuis tabulæ notas manu non allinat, earum tamen figuris totam animam ubiq; inſcripſit, quam exuto corpore eo, quod uocant, commento totam refertam indicat: ita nos, cum ex hoc corpore exceſſerimus, omnis noſtra cogitatio in anima

uelut

uelut in pictura deſcripta ipſa ſe prodet, atq; oſtendet. At quemadmodum qui has notas non didicit, nec earum imagines animo calatas habet, qui contra eis aſſueuit, licet manus ab officio deſiſcat; earum tamen ſcientiam animo incidit: Sic qui nullum adhuc ſcelus mente concepit, nec eius cogitatione animum imbuit, qui contra, quid ſit peccare, iam nouit, etiam ſi nondum quicquam in re perpetrarit, nihilo ſecius perceptarum rerum notiones in anima quaſi in tabella digeſtas habet. Sicut itidem, qui notas imbibit, ſi ſcribere intermittat, illæ ex animo effluunt, et obliuioni tradun tur, ut paullo temporis interuallo, nullam iam octadis, neq; formam neq; uim, neq; nomen in memoriam reuocare poßit; Sic qui aliquid a ratione auerſum ſecum agitat, ſi omißis eiuſmodi cogitationibus ad alias honeſtiores mentem appellat, tractu temporis et illas è ſua memoria expunget, et perpetua obliuione de animæ tabula abradet: cum nihil aliud ſit memoria, quàm rerum animo comprehenſarum agi tatio, notioq; menti quodammodo inſculpta. et qui fiat, ut illarum cogitationum pœnã declinemus, quarum memoriam anima refricãs

uiuas earum imagines quaſi in tabella ſpectantibus exponit? Itaq; ne turpium rerum formis referta animæ noſtræ tabella comperiatur, peruerſarum rerum memoriam ex animo deleamus, eiq; illarum uice bonas imprimamus; ne quæ nunc corporis operimento obducuntur, eo euoluto, impuris maculis inquinatos et contumelioſis notis inuſtos aliter nos conſpiciendos præbeant, quàm quisq; in hac uita ſentiret.

Atq; hoc illud eſt fortaſſe, quod ſenſit Apoſtolus cum dixit, „Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium, „quosdam uero et ſubſequuntur. Nam peccata quæ palam, et in omnium oculis poſita ſunt, quibus etiam præſentes ad blasphemiam, et alios eiuſcemodi errores, peßimo, maloq; exemplo inducunt, ea præcedunt, Quæ uero clam, ſemotisq; fiunt arbitris, non quia ignota ſint hominibus, abeunt, ſed eis perpetuò inhærent, et comitantur, ut cum ſe ipſa, ſuumq; auctorem, qui aliquandiu latuit complures, prodiderint, eumdem et ignaris hominibus, et iuſto iudicio tradant. Sic fit ut infelix propriis erratis medius corripiatur, et à manifeſtis quidem præcedentibus in iudicium trahatur, ab obſcuris

autem et ignotis, quæ illum omni tempore conſequuntur, trudatur eodem. Quam ſententiam dilucidius cum uellet explanare, illa ſubiunxit, Similiter et bona opera coram hominibus lucentia, ut uidentes glorificent patrem noſtrum, qui in cœlis eſt; et quæ ſe aliter habent, celari non poſſunt. Oportet enim nos manifeſtari, qui nunc latemus, quid quiſq; egerit ante tribunal Chriſti, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, et manifeſtabit occulta conſilia cordium, et tunc laus erit unicuiq; a Deo, quando unuſquisq; recipiet, prout in corpore bona, uel mala perpetrarit. Nec uerò nobis ſilentio prætereunda eſt illa alia ſententia, quæ prudentem uirginem ad imminentem pugnam uehementius poßit incendere atq; armare. Sicut enim admirandum illum Paulum cũ adhuc corporis carceribus eſſet incluſus, quædam opera præceſſerunt, dum ij ſcilicet, qui eius doctrina moribuſq; exculti ante ipſum in cœleſtem uitam, locumq; commigrarunt, eidemq; præmia pro ſudoribus ipſorũ gratia exhauſtis apud Deum iuſtum iudicem deprecantur, et parant; quædam uerò liberum iam, et ſoluto corpore cũ Chriſto morantẽ uſq; in hunc

diem excipiunt, et conſequuntur, dum nimirũ qui ſe in eius epiſtolarum ſacris litteris cum uirtutis incremento exercent, laudes ſimul et laborum remunerationem huic optimo praeceptori tranſmittunt: Sic contra, naturaliter alia peccata praeunt eorum, qui prauis ſermonibus, peruerſiſq; moribus corrupti, et ad inferos prius demiſſi, ſuorum malorum ducibus ſupplicia ibi praeparant; alia poſt ſuccedunt eorum, qui etiam poſt illorum mortem damnum adhuc ſentiunt ex malitia, quam illi uiuis reliquerunt. Vt enim beatus Dauid hominibus, et ad dei cultum, et ad prouidentiae cognitionẽ non paruum etiam num affert adiumentum, et qui ex ipſo aliquem fructum perceperunt, ob ſua bene, recteq; facta conſequentes ei laudum uoces effundunt: ita Marcionem et alios qui haeretica ac peruerſa decreta in hominum uita proſeminarunt, quicunq; inde aliquà laeſi abiere, tantae nequitiae principes etiam multò ante uita caſſos accerbioribus poenis ſubijciunt. Nã ,, ſi inquit, unum ex iſtis minimis ſcandalizauerit, huius mortis reus iudicabitur; qui male uiuendo tot exempla reliquerit, quae ad morum corruptelam pertineant, totq; dogmata homi-

num mentibus iniecerit, quæ rectum animi facilè labefactent, quiq; poſt mortem multis etiã ſit exitio, hic profectò omnium interitus, qui eius perſuaſu periere, crimen, pœnamq; ſuſtinere debere, ſanctè iuſteq; pronunciabitur. Vt enim unuſquiſq; hic eorum culpa uel uulnus, uel mortem accepit, in illo ſæculo, qui fuit tanti mali cauſa uel uulneratur, uel occiditur. Cum ergo eorum, quæ geruntur, alia præcedant, alia conſequantur, et quæ ex malitia exiſtunt, maiori ſupplicio ſuum auctorem tradant pro damno, quod cuiq; intulerunt; quæ uerò à uirtute ortum habent, maioribus præmiis ſuum præceptorem cumulent, prout quemque iuuerunt, et à uitiis abſtraxerunt: pari ratione nimirum, et uirgo, utrum malit, habet ſeu uirtutis, ſeu uitij alias quidem muneris functiones, quæ præcedunt, quaſdam uerò, quæ ſequuntur. Ac uerè infelix illa, quæ ſuper ſui ipſius delicti pœnam ex aliorum quoq; prolapſione, quos lubrico in loco ſtatuit, acriora ſupplicia ſemper ſibi coaceruat; ter beata contrà, quæ præter propriam coronam, etiam poſt mortem alio in ſæculo tot alijs coronis incingitur, quot aliæ eius æmulatione incenſæ ſibi pepere-

runt. Quod ſi nihil uſqueadeò clam eſt, ut non quandoq; foras efferatur, etiam ſi ſola ſit prouideat tamen uirgo, ne in peccatum aliquod deferatur: nec hominum tãtùm uitet intuitus, verùm multo magis etiam ſuos, Angelorumq; vndecunq; deſpectantium oculos vereatur. Ic-,,circo enim inquit, mulier velamen capitis ge-,,ſtare debet propter Angelos. Neq; enim decet, licet domi ſola ſecum ipſa ſedeat uirgo, quia nemo adſit, paßim corpus ſine vllo deſcrimine nudare: cum mulier, vti diximus, ilex ſit, quæ marem totum ad ſe rapit, atq; conuertit, nec ob id tantùm demonum inſidias decet effugere, quibus furtim obretimur, eoq; ſuſpectas habere debet, ſed uelatam eſſe conuenit propter Angelos, quos omnes reuereri debemus. Vir enim angelicam quodammodo dignitatem aſſecutus à fratribus confidenter aſpectetur; mulier autem multò inferiorem viro nacta naturam tecto, atq; operto ſit capite, vt hoc operimento ſe meliori eſſe ſubiectam, honeſtè præ ſe ferat. Hac de cauſa caput, ipſarum ſupernè crinibus ipſamet natura contexit, atq; abdidit, ut uel hoc ipſo eas commone faceret, honeſtatis nõ eſſe muliebris nõ modo nullum aliud membrũ,

ſed ne caput, quidem ipſum temere, et vbicunq; aperire. et quoniam quandoq; ſolæ abſentibus uiris etiam huc uſq; procedunt, auguſtiorem uiris Angelorum ſcilicet dignitatem, cu-
„ ſtodiamq; præfecit. Propter Angelos, inquit,
„ qui ubiq; adſunt, et omnia conſpiciunt. Omnis ergo mulier, multòq; magis virgo Angelos reuereatur, quamuis remota à uiris domi ſola ſit, et ſi neceſſe ſit, corpus quandoq; curare; tũ uerò capitis, aliaq; ſingula integumenta concludat, opus acceleret, et, quantũ poteſt, membra occulat, nec ea a ſuis modo, Angelorũq; poſtea oculis remoueat, ſed tamquam in quadam palæſtra omni ſtudio, ac contentione in uerecundiæ exercitationem incumbat. Quod ſi neq; ſecum ipſa ſe denudare conuenit, quanto magis eandem totis viribus niti addecet, ut fratribus in Chriſto præſentibus, ſe et tunica, et pudore honeſtè, et decenter exornet? nec ſolum membrum nullum detegi patietur, quod ueſte ſemper occultare debet; uerùm etiam ſedulò ita ſeipſam ad innocentiam inſtituet, ut non ipſa tantum pura intactaq; permaneat, ſed caueat ne aſpectantibus ſuo obtutu aliquam pec-
„ candi materiam ſuggerat. Videntes enim in-

„ quit; filij Dei filias hominum, quod puchræ eſſent, conuerſi ſunt ad eas. Nam pulchritudo in oculis conſpectuq; poſita ſatis uehemens eſt ad illiciendos uel Dei filios in uoluptatem, et more hominum, qui eius cauſa perſæpe fatiſcunt, eos quoq; mortales oſtendendos. Quare non oportet aliorum ſalute contempta, qui inde lædi poſſunt, de ſua tantum ipſius innocentia eſſe ſollicitam, ſed et ſuam virginitatis pulchritudinẽ ſarctam, integramq; ſeruare, et ſpectantibus uitæ compendium, non peccati mortem concinnare. nam licet ipſa propoſiti tenax multũ ſuæ integritati confidat, nihilominus tamen prouidendum eſt etiam, ne frater ipſius cauſa ad ſcopulum aliquem offendat, aut uſpiam incurrat. Sic virgo cum mente, motu, forma, habitu, ſiue ſola, ſiue cum alijs bene, apteq; compoſitis ſponſo ſuo placuerit, tum ſponſi amicis purè, tutoq; eorum conſuetudine utatur. Non enim ut ei in odium homines adducam, ipſam ita ſecludimus, ſed ut Dei effigiem totam à capite uſq; ad calcem conquiſitis coloribus exprimerem, ut ſic eam commodius tutiuſq; in conſpectum fidei domeſticorum producerem, quò et habitu et oratione uerè domini uirgo cum

cognita

cognita perſpectaq; fuerit, quibuiuscum loquitur, aliquid utilitatis afferat. vt igitur ſponſa, uerſetur cum pudore cum ſponſi miniſtris. atq; ita uerſetur, ut continentiam quamdam decusq; ubiq; retineat. oportet nanq; ipſam ſimplicem eſſe more columbæ, prudentem rurſus ſicut ſerpentem. Quia enim animæ, quæ hiſce corporibus concluduntur, ipſæ inter ſe aperte fari de uirtute non poſſunt, infixis corpori organis ad uocem uiſumq; figurandum uti coguntur, et qui animæ pulchritudinem, quia corpori ſit alligata peruidere non poteſt, aut eius orationem exaudire, corporis motus, in quo illa ineſt, contemplatur, uocemq; inde percipiens, ex his animæ pulchritudinem æſtimat: nec uox ſolum, aut obtutus ueluti ſpeculum animæ formam repræſentat, ſed et uiri ueſtitus et riſus; et greſſus qualiſnam. quiſq; ſit, loquuntur, et clamant; alij uerò quidam qui muſicum iucundè audirent, ſenſim eo delapſi ſunt, ut non amplius muſicum amarent, Sed in inſtrumentum, quod oculis obijcitur, quo muſici ſcientia, ac ſuauitate fruuntur, breui amorem ſuum conuerterent; iccircò neceſſariò debet uirgo uocem, uiſumq; accurrate obſerua-

re; ne quandoq; imprudens pro anima loquente illud ipſum depereat, quo illa loquitur. Is enim qui rectam uiuendi rationem nobis inuidet, ſatis magnam uim habet, ut quoquomodo nobis optata ſubtrahat, ſuaq; propria illorum loco ſupponat. Sic enim decepti ſunt quidam, ut cum aliquem de uirtute ſermonẽ auidè arripuiſſent, amarentq; plurimum animã, ex qua fuiſſet ille depromptus, mox continuo auditu, uiſuq; cum corporis lineamentorum formam, atq; imaginem quandam animo comprehendiſſent, auresq; uoce ineptè demulſiſſent, non iam amplius animam, quæ orationem uoce formabat, quam cum ante diligerent, ipſum etiam hominem beneuolentia complectebantur, Sed corpus animæ bona eis ſubminiſtrans amarent in poſterum. Nam et Græci uirtutes, uitiaq; inter ſe quadam uicinitate contingi fatentur. cuilibet enim uirtutis ueſtibulo uitiorum ſimillimam ſpeciem utrinq; conſtituit, ut qui ad uirtutem auidè defertur, huic ianuæ aſtet primùm, cumq; alteram pulſare uideatur, hinc, aut inde alteris uitiorum foribus apertis, ſimilitudine in fraudem illectus, tamquàm in uirtutis domum ingrediatur, et ob

hunc errorem dehinc omnium irriſione deluſus, tempore et rerum experientia ſentiat, non ſolum quam longè lateq; abſit ab illis uirtutis foribus, quas ſibi quandoq; pulſare uidebatur, ſed ne ad earum quidem limina ullo unquam tempore perueniſſe, nec ianuam ut ante putabat, aut contigiſſe aut pulſaſſe. Sic qui audacter ad uirtutem contendunt, hac deceptione temerarios oſtendit. qui audaciæ infamiam ſedulò fugiunt, eos parui anguſtiq; animi perſæpe arguit. qui lenes faciles q; haberi uolunt, in dolores ac perturbationes procliuiores reddidit: qui contra eiusmodi facilitatem reſpuerent, immanes atq; omni immanitate exutos effecit. Sicut et qui dilectionis florem perſequũtur falſo dilectionis nomine eos uel ad corporis uoluptates turpemq; uitam ſummo cum dedecore impulit, aut ne in horum reprehenſionem incurrerent, fratrum oſores pulchriq; ſenſu carentes fecit. Rurſus igitur ne declines ad dexteram, neq; ad ſiniſtram; ne hoc errore ductus in aliquas uitiorum fores prolabaris, Sed mediam uirtutis uiam ingreſſa, perſpectis item exploratiſq; omnibus, quomodo cautè iter facias, non ut inſipiens, ſed ut prudens, (quoniã

per medios laqueos incedis, et pinnas urbium pertranſis) uide, ne negligentius aliqua pedē tuum in caſſes immittas, ne quando de urbis noſtræ mœnibus corruas, maleq; pereas. Amare ergo eos, qui nos ad ſponſum cohortantur, æquum eſt; ſed iuſto, et non confuſo amore id facere oportet; ne aſsiduis miniſtrorum ſponſi uicta uocibus, quas illi de ſponſo loquentes proferunt, dum pari cum ſponſo amore illos proſequitur, ſponſi dignitatem imminuat: dumq; nuptiarum contrahendarum auctores in æqualem Domino honorem uocat, maius peccet. Iā uerò quædam extitere ſtolidæ, quæ ſponſi famulos ipſi ſponſo impiè in amore anteponerent, et ſponſi, cui ſemel nupſerant, poſtmodum oblitæ, ſe totas ſponſi ſeruorum, ſponſas facerent, uel potius non ſponſi ſeruorū, ſed extraneorum quorumdam turpes infameſq; mulieres deprehenderentur. Neq; enim quemquam miniſtrum recipit ſponſus hic noſter, qui aliqua uoluptate ducatur, ſed eos tantum uult, qui ſpiritu uiuunt. At hæc quæ non ſpiritui ſeruorum Dei, ſed eorum corporibus ſeipſas turpiter, abſurdeq; deuouerunt, ſatis hoc facto declarant, et illos alienos à miniſterio ſponſi, et ſe non ſpon

ſi miniſtris, ſed extraneis ſeruis eſſe deſponſas. Quare cum his quoq; cautè, prudenterq; uerſetur, et quæ ex colloquutione ſenſim ſolet irrepere corporum cõſuetudinem modeſte recidat. illud in congreſſu animaduertant uirgines; ne, dum quaſi de ſponſi domeſticis omnia ſibi pollicentur, aut eos, quos non decet blandidius inducant, aut ſeipſas præter propoſitam metam ad corporis voluptates fœde demittant. At genus humanum diligere debemus, quoniam, „ diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Quod præceptũ vſq; adeo probauit, vt illud ſpõſus ſpõſæ tradiderit, quin etiã, inquit, Diliges, et quod vni ex iſtis feceris mihi ſponſo tuo feceris. Sed tamen omni perturbatione carere debet eiuſmodi dilectio, nec ſub falſo dilectionis nomine re ipſa veræ dilectionis dignitatẽ tollere. nã donec ob amorem, quo ſponſum proſequitur, ſe fratres amare probabit, vtriusq; dilectionis ſeruabit integritatem. Vbi verò non iam propter illum, ſed hos propter ſe ipſos ex familiaritate amare cœperit, tum et amorem erga illum dirimit, atq; contaminat, et eundem cum turbido animi motu huic alteri coniungens falſam non ueram dilectionis ſpeciem tenet. Dilectio enim

corporis affectibus non inquinatur . neq; verò ita auia à ratione uagetur uirgo, ut propter cōſuetudinem belluarum more ſine delectu ſuam maieſtatem in corpora abijciat : Sed cum ratione prædita , et tota plena ſapientiæ ſit , prudenter quoq; ſingulis pro dignitate , meritiſq; cuiusq; ſe ipſam dedere conſueuit . Ac ſeruos quidem ſponſi ratione ſanequam optima propter ipſum ſponſum in honore habet ; illum autem ipſum non propter eos , quia de eo honorificos apud illam ſermones habeant , ſed propter ipſum amplectitur . Quòd ſi quis illius amator eſt , hunc propter amorem , quem in illum præſefert , in amicis ponit . Sin contra quis omiſſo illius amore huic ſublandiatur , non itidem hunc tamquam familiarem æquis oculis aſpicit ; Sed potius ob illam aſſentationem inſidias ſibi fieri ſuſpicatur. Nam dum re uera neglecto, ſpretoq; ſponſo , cuius amore eſt illa perculſa , fictum quemdam cultum erga eius ſponſū induit , allectat quidem ipſam , quaſi allaboret , eaq; faciat , quæ illi grata poſſunt obtingere , eius autem amorem ex aſsiduo congreſſu in ſeipſum tranſmouere conatur . Ita fit , ut ſub caduceatoris nuptialis nomine , et habitu ſpon-

ſæ pudicitiam, floremq; aſtutè carpat. Hinc multæ ſub falſa dilectionis appellatione deceptæ paulatim ex conſuetudine ad corporis affectiones uſq; eo fuere tranſlatæ, ut meretrices, et adulteræ et alienæ non ſolùm à nuptijs Domini fierent, uerùm à legitimo quoq; inter homines matrimonio. Nam cum ſuam uirginitatem domino addixerint, et poſtmodum corporis uoluptatibus agitatæ uincantur, adulterij crimẽ nuptiarum nomine prætexunt. Non ignorant tamen, opinor, hæ; licet ignorare ſe fingant, eam, quæ ſponſi ſui dextram prætergreſſa eſt, neq; ipſius ſponſam eſſe, à quo præter leges, moremq; diuertit, neq; huius, cui ſe uoluptate ducta coniunxit, iuſtam uxorem poſſe cenſeri. Tunc enim ex ſacrarum litterarum ſententia iuſtæ nuptiæ contrahuntur, cum uoluptatis affectus legis neceßitatem non antegreditur. Nam qui ſecum ita reputat, eumq; ſcopum ſibi proponit ante nuptias ut et neceßitati ſubueniat, et liberorum ſucceßioni conſulat, uero, pulchroq; coniugio deuincitur; quando, inquã, nuptias neceßitatis cogitatio præceßit. Tunc enim ſic inſtituto, moreq; Domini ſancte iacto fundamento, poſt nuptiarum neceßitatem ſe-

quitur ex concubitu attrectatuq; uoluptas, quæ in carne una duos efficiat. Poſtquã enim hanc ipſam neceßitatem ratiocinatione præuenit, animaſq; ipſas uicißim coniunxit: merito illis ita inter ſe connexis et colligatis, corporum quoq; in quibus illæ habitant, nexus ſequetur. Cnm uero aliud ab initio ſibi proponit animus, corpora uoluptati intenta, et ad ſuum offitium conuerſa ſi ipſas animas ſuæ libidini deſtinarint; tum uitiorum corporis ſentinæ cum factæ fuerint animæ, minus iuſtum concubitum reddunt. Quodcunq; enim animus neq; ratione, neq; lege ante non agitauit, id tamquàm „ improbe factum conſcientia ubiq; notat. Hac „ ratione, inquit, mulier ligata eſt legi, quoad „ maritus uixerit, quod ſi moriatur, libere nu- „ bere poteſt, cui uelit, non abſolute tamen, ſed in domino inquit. quoniam et quæ morte uiri liberam eſt aſſecuta nubendi poteſtatem, non paßim libera eſt, ſed in Domino nubere debet. Sed quid eſt nuptias in Domino conſtare? non illud equidem, ut corporis uoluptate ad concubitus pertraheris, ſed ut humano generi proſis, nuptias ea ratione deligas. ea de cauſa creator noſter matrimonij neceßitatem in rerum natu-

ra

ra conſtituit. Quæ cum ita ſint, caueat, ne ſe ipſam fallat, quæ ſe ad corporis uoluptates de uirginitate detorquet; quandò tale connubium in peccatorum numerum referetur: primùm quidem quia inane fundamentum complexus uoluptatem et tranſgreſſionis peccatum ſibi ipſa iecit; deinde quia, cum nondum ſit ſoluta coniugio (neq; enim deceſſit uir eius ut liberè, cui uelit, ſe in matrimonium dare poſſit, cum ſuperet adhuc immortalis maritus) meritò adulteræ nomen ſubibit, quæ corporis dulcedine illecta mortalem uirum in domini thalamum intromittat. Quoniam enim ſponſum nuptiarum ſolemnia præceſſerunt, uirginalis habitus, dextræ coniunctiones, progreſſus ad illum: hæc apud omnes teſtatum relinquũt, et ipſam tali connubio lætari, et ad hunc uirum priorem ſolenni pompa deduci. Si enim non prius uirgo paternas ædes egreditur, quàm iuſto coniuncta marito ab eo uitæ ſuæ duce, ac moderatore notis quibuſdam inuratur, atq; ita poſteà ſub ſui uiri nomine patria domo prodeat: eadem profectò ratione et uirgo noſtra paternos thalamos egreſſa, ut legitimum ſibi ſponſum adſcribat, ſub huius auſpicijs in aper-

tum, publicumq; deduci cenſebitur. Quòd ſi cum procedit, teſtes interſint; ijdem ſanè planum teſtatumq; facient, cui coniuncta foret, et quem uirum præſeferret, cum de parentum domicilio proſiliret. Cum autem et teſtibus, et proceſſu huiuſmodi copula per omnium ora peruolitet, nec dum è medio uir eius exceſſerit, mœchatur procul dubio, quæ uiuente marito cum alio conſueuit: uel potius quia impenſius uoluptatem appetit, impudenter meretricatur; quia uerò adhuc maritus ſupereſt, adulterium notoriè committit. Nec ſatis cerno, quo modo uel ipſa pro immortali Deo mortalem uirum magno ſuo cum malo receptet, et ſemper ante mariti oculos illicita coitione in ipſum ſæuiat: uel ipſe uir eo uſq; dementiæ ueniat, ut auſit domini cubile conſcendere. Hanc enim pœnam è nobis mortalibus metiri, atq; exiſtimare debemus. quibus ſupplicijs dignam iudicabimus eam, quæ pro nobili ornatoq; uiro ſeruum tollat, et inſidias Domini lecto a ſeruo locari patiatur? qua itidem pœna afficiendus eſt is ſeruus, qui ſe ſuper dominum, dominiq; ſui eſtratum petulanter inijciat? ſed callidè aſtuteq́; faciunt, quæ cum ad tantam

impietatem deſcendere corporis titillatione auſæ ſint præterq́; quòd lachrimis non extillant, quibus errorem ſuum leniant, uirginitatem etiam, ſi dijs placet, quam antè fuerant profeſſæ, mentiuntur. Nam cum uirginitatis limites transgredi, ut in turpi, et obſceno uoluptatis famulatu ſit, omnium cenſione uituperari non ignorent, maiori crimine ſuum ſcelus, mendacio ſcilicet, mitigare conantur. Ita ſciolæ dum hominum iudicia uetita mendacio tranſgreßionem excuſant, dominum autē, cui coniunctis dextris fidem dederunt, quia in malorum profundo ſunt demerſæ, minimè pertimeſcunt; uix ſentiunt, ſe duplicis peccati et apud homines, et apud Deum ſtultè alligari. Nam ſi, quamuis illæ negent, cùm earum uirginitatem in ore omni populo fuiſſe non ignorent, nunc tantam mentis inſaniam, atq; adeo impudentiam auerſantur, quæ contra res tam manifeſtas repugnare non dubitent. hic autem, et quia uirginitatis fœdera uiolarunt, et quod pœnitentiæ loco mendacium prætexunt, ſuo iudicio in eas acrius, atq; ſeuerius animaduertit. Ne igitur ſub dilectionis nomine in tam immane pec-

cati barathrum procidat, puram atque omni perturbatione ſegregatam dilectionem teneat; Neque enim, cum ad uoluptatem fuerit delapſa, proderit nuptiarum ulla prætenſio; nec matrimonij appellatione uiuentem adhuc maritum, ipſaque nondum ſoluta circumſcribere poterit, quæ mortem in re uenerea præferat illi, qui ipſi tot, tantoſq; honores detulit. Nec inconcinnè huc quoq; illud
„ Apoſtolicum quiſpiam transferat; Quod cum
„ inordinatè ſe geſſerunt contra Chriſtum, nu-
„ bere nolunt, habentes iudicium, quia fidem re-
„ probauerunt, non nuptias, ſed adulterium per
„ uitam malè perſequentes. nullus itaq; ſeruus in tantam rabiem, furoremq; concitetur, ut Domini ſponſam auſit attingere. nemo ſacrilegus tam furioſus exiſtat, qui nitidam fulgentemque Dei ſacerdotem impuris manibus attrectet. nemo eo dementiæ rapiatur, ut cũ tam acerbas pœnas ſacrilegis impoſitas uideat, non quid in animũ ex auro argẽto ue factũ cõuaſare, ſed animata ipſa, uiuaq; donaria prædonũ more profanis manibus ſurripere, auferre ue tentet. imò uerò nemo uſque adeò impius eſto, ut non animata uaſa de templo ſubducat, ſed

ipſum domini templum, ipſius nimirum uirginis corpus, atque omnium pretioſiſſimum in eo uirginis animam, qua nullum ſanctius donarium in Dei templo ſuſpendi poteſt, Luxuriæ facibus barbarico ritu ſuccendat. Quòd ſi uirgo ſe ſua ſponte præbeat, atq; ita pacta cum ſponſo conuenta infringat, templumq;, donarium, ſponſi amicitiam, regni commercium, et omnia propter unam uoluptatem conturbet; ne tum quidem etiam cum ea in peccati ſocietatē uenias: quando nec prudens Ioſeph, quãuis à Domina ſollicitatus, eius tamen uoluptati annuere conſentireq; uoluit. At etiam ſi tu in nuptiarum partem uenire refugias, alteri nihilhominus ſe in matrimonium collocabit. at ille etiam pœnas ob peccatum ferat. Tu uerò abſtine te ab affinitate pœnæ propter ſcelus, „ quod in Dominum committitur. Oportet, „ inquit, filium hominis tradi: uæ autem illi, per „ quem filius hominis tradetur. melius eſſet ſi na„ tus non eſſet: Nonne eodem modo iudicabimus de ea, quæ prius uirginitatem profeſſa, mox mutato conſilio uoluptatis fruendæ ſtudio uni cuipiam uiro ſeſe deuinxit? nam licet dicat, oportet me nubere, ſicut filium hominis tradi;

uæ tamen illi, per quem ipſa rupto cum ſponſo fœdere ſuas cupiditates explebit. Profuiſſet huic, auſim idem dicere; quam ut tam nefarij in dominum ſceleris affinis iudicaretur. Non uides, non ſentis, eum etiam adulterium admittere; qui eam ducat, cui ſit repudium remiſſum? Nam etſi, inquit, aliqua ex cauſa à uiro diuertit, uir tamen eius adhuc inter uiuos numeratur. Quid ergo ſollicitas eam, quæ nuper diuortium fecit? cur tantum temporis non das huic, ut ſe ipſam corrigere poßit in ijs, quorum cauſa ſolutum fuit matrimonium; marito autem, ut emendatione delenitus, ſuum ipſius membrum alias diuulſum rurſus ad ſeſe recipiat? Sed ſpatium emendandi utriſq; præripis, qui ſuperſtite uiro uix ſolutam in uxorem ducas? Sinito, inquit, uel ad uiuentem maritum reuerti, ac meliorem uxorem fieri, aut perpetuò neq; uiduam, neq; uxorem manere, ut ſic uiro pœnas delicti pendat, quo impulſus eam dimiſit. Tu uerò priusquam ſuũ errorem nouerit, ob quem repudiata fuit, ea in tuum coniugium rapta audaciorem ad peccandum ſtultiſsimè facis: cum marito adhuc uiuo alienam adulteres illamq;, uti dixi, lu-

bentius ad alia delicta in matrimonio perpetranda abſurdè hac ratione pellicias. Quod ſi quis, ea ducta, quæ à mortali uiro ſegregata eſt, fœdè mœchatur; quantò fœdius peccat is, qui immortalis uiri ſponſam nullo umquam tempore ſolutam audet corrumpere? Nam etſi ipſa ſua uolontate diuertat, et mutato animo ad corporis uoluptates deflectat, ne tamen eam tangas. Supereſt enim uir eius, qui eam à ſe dimittere et amandare negat. Sine ipſam ſentire, ubinam fuerit, concoquere affectus, corporis amorem ex animo delere, et diuturnitate temporis planè perſpicere, quantum ſcelus donata fuerit, quia ſic prorſus in gratiam cum ſponſo redibit. Nam ſi Chriſtus lux eſt, et reſurrectio, et integritas, et uita, et alia, quæ à patre nobis bona procedunt: quæ ſe à Chriſto diuellit, quid aliud agit, quàm à luce in tenebras, à uita ad mortem, ab integritate ad corruptionem, à reſurrectione in inferum, mortisq; uaſtas lacunas ſe ipſam detrudit? Quæ cum animo ſecum repetierit, ac uolutarit omnino, quam ſit profunda uorago malorum; caliginem profectò confuſione, mœroreq; plenam cohorreſcet, et lucis amœnita-

tem; qua prius fruebatur ardentius concupi-
ſcet. terrores autem mortis, et corruptionis
fœditatem, cum ob oculos poſuerit, tum uerò
inde profugiens alacrius ad uitam, et immor-
talitatem remigrabit. Cum rurſus in infer-
num oculos inclinarit, grauiſſimumq; eius ca-
ſum deſpexerit, reſurrectionem ſibi à Domi-
no tributam ſtudioſius perſequetur. neq; enim
uſq; eo ſtultitiæ redacta eſt, ut cum, temporis
longinquitate quieuerit, ſedatus ille corporis
motus, mortalem ſponſum immortali ante-
ponat. Quid ergo miſeræ lapſum ſuſtines?
cur ſpacium ſui delicti cognoſcendi præcidis?
cur cogitandi tempus aufers? ut nondum à
domino abſtractam ducens non te uirum ſed
turpem adulterum omnes inclament, qui im-
piè domini cubile contaminet? Quò circa cum
pulcherrimum Dei donarium uirgo ſit, qui-
uis ab illa temperet: ipſa autem candidam ſe
et corpore et mente cuſtodiat, ut ſic tutò inter
fratres in Chriſto uerſetur. Huc enim cum il-
lam uocaret uerus ac germanus Chriſti ſer-
uus inquit; nolo omnes uos ſapientes eſſe ad
,, bonum ſimplices autem ad malum. Adiunxi
,, enim uos uni uiro, uirginem caſtam exhibere

Chriſto

Chriſto. Vereor autem, ne ſicut Euam ſerpens in fraudem ſua calliditate pellexit, ſic etiam ueſtræ cogitationes corrumpantur, atq; abducantur à ſimplicitate Chriſti. Quare uirginis primum munus erit, cogitationes ſuas peregrinati nulla ratione ſinere, ſed domi caſtè omnino continere. nam pudica manente anima. facilè corpus à corruptione declinat: eadem rurſus prauis cogitationibus imbuta, ac labefactata. Licet corpore pudicitiam tueri uideatur, non tamen ab omni labe pura erit eiuſmodi pudicitia, cum uarijs cogitationum maculis inquinetur. Amare ergo conuenit, ſed ita, ut ratio, prudenſq; iudicium præfiniat, quatenus amare debeat. Dilectio enim non erubeſcit. ſolutus uxore uxorem ne quæras. Ineptè uerò faciunt, qui cum ſub dilectionis nomine eiuſmodi nodis ſe ſtudeant eximere, uoluptatis tamen laqueis propter conſuetudinem ſeſe illigant, ut contra uotum non amplius neq; corpore, neq; anima inde ſe poſſint euoluere. neq; enim anima libera eſt, quæ ſe totam uoluptati, Libidiniq; dedit; nec corpus ſolutum, quod nuptiarum uinclis, et curis inuoluitur. Nam et ſi matrimonium nomine non ſit; rerum tamen

uenerearum hærens, inſidenſq; cogitatio ita eos corporis curarum in quibus ſe totos ſine ratione poſuerunt, ſeruos efficit, ut omnium uituperatione damnentur. Perridiculum autem eſt, eas quæ uirginalem quamdam uiuendi rationem conſectantur, ſe in nuptiarum ærumnas miſeriaſq; conijcere. et cum ſponſi curatione uideantur eſſe contentæ, homines tamen etiã ſummo cum probro, et amicarum more curatores aſſumere. Si amas eum, cuius amorem iam ante perſpeximus, omnia omnino alia prætermittere debes, Humi potius ſerpere, quoſcunq; habitus, quæcunq; paupertatis tormenta perferre, ut amaſio potiaris; quàm omiſſiorem uiuendi licentiam perſequens, humaniſq; uoluptatibus inhians de diuini amoris gradu turpiter dimoueri. Delicata enim uirgo uiua perijt. Nemo ergo quiſquam pulchrum uirginitatis nomen deteſtetur, licet ſub candidæ dilectionis nuncupatione corporeis uoluptatibus quandoq; turpetur. Neq; enim caritas ſubdola eſt affectio, aut adumbrata quædam beneuolentiæ ſpecies, uoluptati addicta, aut turbulentus uelut inter belluas coeundi appetitus, ſed purus quidam amor ab omni corporea pertur-

batione uacuus, uoluptatis, aliarumq; ægritudinum ſedatio et ſanctificatio in ſpiritu ſancto: ideoq; ſi frater tuus tui amore moeret, non amplius ueſtigijs cantatis inſiſtis. Vide ne tua caritate tollas uera caritatis effectus, neue falſi nominis appellatione fratrem tuum perdas, et in aliquam peruerſam ſuſpicionem agas, cuius gratia Chriſtus mortem ſubire uoluit. Si quis te, qui ueri boni ſcientiam tenes, in templo uarijs ſimulachris referto conſpiciat, pro uera puraq; integritate eius imaginem in corpore colere, atq; obſeruare; nonne huius conſcientia ſtatim labaſcat, atq; fœdetur, et ad peccandum maiores ſpiritus ſumat? At qui ſic in fratres peccatis, et nutantem eorum conſcientiam ueſtro impulſu corruere facitis, in Chriſtum peccatis. eam ob rem, ſi eſca ad delinquendum fratrem meum inuitet, eſcam non comedam in perpetuum, ne fratri meo malefaciendi anſam
„ præbeam. An non habemus poteſtatem man-
„ ducandi atque bibendi? numquid non habe-
„ mus facultatem ſororem uxorem circundu-
„ cendi? ſed non utor poteſtate hac, inquit, ſa-
„ tius mihi eſt mori, quàm ut me quiſquam glo-
„ ria uirginitatis exhauriat. Tribus ergo leui

ſecum ipſa, mulieresque ipſorum inter ſe: nec tamen ideò à fraterno amore eas arcemus: quinetiam omnes, quaſi ex eodem uentre prodierint, amare permittimus, et eos, qui uerè eiuſdem ortus ſunt, cautius ut diligant, commonemus. Verendum quippe nobis eſt, ne peccatum ex familiaritate, ac confidentia noſtra arrepta occaſione omne cupiditatis genus in nobis excitet. Nam peccatum uel fraterno manuum contactu, uel ſincero oſculo corporis caſtimoniam ita furtim ad ſe trahere, et exſuſcitare poteſt, ut ſicut Adæ poſt deguſtatam pomi dulcedinem cupiditatis oculos ad omnes malum nobis latius aperiat. Quamobrem neq; etiam germana germani fratris tactui, oculiſque crebrò conſentiat, ne cum ex aſſuetudine amoris poculum altius deſcenderit, quandoque foras erumpat, idque tum præſertim cū corporis lepor, et uenuſtas amoris faces eorum oculis ardentius admouit: Ab hac enim flamma cùm etiam humana ratio nos uellet abſtrahere, Deuitate, inquit, formoſarum oſculationes non ſecus, ac uirulentor animalium morſus; quoniam, inquit, uoluptatis uirus paulatim ab oſculis per totum corpus ſerpit, atque

55

diffunditur. Quare amplectimini uos, inquit, oſculo ſancto, quaſi corporei oſculi halitus cum ſancti ſpiritus fragrantia coniunctus purum neſcio quid redoleat. Neque uerò nos quiſquã reprehendet opinor, quòd, ut uirginem omnino integram informaremus, ad has ſubtilitates deſcenderim. Niſi enim antea noſtra, patrũq; noſtrorum memoria in eiuſmodi perſonis pugnas, turbasque aliquas tales excitaſſet peccatum, iuxta fortaſſe reprehenſione non careremus; quod hucuſque noſtra penetraſſet oratio. Sin omne peccati genus, tam in matres quàm in filias nouo more corporis uoluptas inuexit; ut Amnon propter uim ſorori illatam notauit; qui nos ſub accuſet, ſi uirgineum candorem hac etiam cautione præmunire uoluimus? uehemens eſt enim innatus ille marium corporibus in fœminas furor, ut omnium monitiones, et conſilia reſpuat, atque hæc inter ſe, ſic dixerim, ſua ſponte et aduerſante ratione coniungat. Nam ſi fœmina fœminæ, uel mas maris corpus attingat, naturali quodam inſtinctu fit, ut uiciſim in ſe uix commoueantur niſi ſi quis irritatus eius memoria, ad cuius amorem naturali impetu defertur, innatum furorem

reſixis naturæ legibus in alienum extraneumq;
conuertat. rurſus ſi fœmina maris, uel mas
fœminæ corpus contrectet, etiam ſi eos ratio à
complexu retrahat, ſenſim tamen mutuum
coeundi appetitum concitant. Ac ueluti ſtup-
pa prope ſtuppam poſita, et lucidus ignis ſplen-
dido igni admotus fumum non mittit; ſed ſi
ſtuppa uel tantillum de flamma guſtarit, ſta-
tim ſuccenditur, nec forinſecus multo labore,
flatu ue indiget, ut ex ſtuppa ortus ignis exſur
gat; ſed uix ignem complexa ſtatim flammas
uomit, atque diffundit: ſic fœmina cum maris
corpus tetigerit, non multum operæ, amoriſque
poſtulat, ut ad concubitum irritetur, ſed cum
mutuum ardoris appetitum natura eis inſeue-
rit, ſimulat membris admouere, uix ipſis ſen-
tientibus ardens ſcintilla uoluptatis exiſtit.
„ Quamobrem ligabit quis ignem in ſinu, nec ue-
„ ſtimenta comburet? aut ambulabit per carbo-
„ nes ignis, nec pedes eius exardeſcent? Sic non
impune habebit, qui mulieri adhæſerit. Quòd
ſi dominus ſeipſum pro ſponſa morti obtulit, ut,
cum illam puro aquæ flumine lotam ſanctifi-
caſſet, eandem ſibi glorioſam conſtitueret, non
ſordibus, non rugis, non ulla labe conſpurcatã;

ſed ſanctam, ſed integram animo, et corpore: prouidere omnino uirgo debet, quanam ratione domino placeat, neque hæc quidem ſedulò uitare, illa autem temerè audere, ſed omnia omnino refugere, quæ illi aut maculam, aut næuum aliquem poßint aſpergere; ut corpore ſancta ſit, ut nulla contagio ab eo in animam defluat: anima autem, ut hoc nullæ cogitationes infuſcent, atque perturbent. non enim à corpore ſolum in animã praui affectus deriuant, ſed etiam perſæpe ab anima profecti, cum corpora cogitatis minus quandoq; reſpondeant; in mente non ſecus, atque in corpore, ad rem factaque perueniunt. Sicut ij, qui aquam oleo perfundunt, et utriuſque uim arte cõmiſcent, turbatæ aquæ fimo olei lumen obſcurant; rurſuſq; olei infuſione aquæ naturã corrumpunt: Sic qui animam cum corporis perturbationibus confundunt, utriuſque utilitatem de uita demunt, dum animæ lucidum, ac ſplendorem totum corporeis uoluptatibus inuoluunt, et corporis munditiam, atque nitorem hac eadem ratione turbant, ut illud ad uitam reddant inutile. Ac quemadmodum illa inter ſe confuſa naturalem bonitatem deperdunt; contra, cùm

tumor ille reſedit , ac à ſe inuicem diſcluſa quietem ſunt indepta, colligunt ſe, et ad ſuam naturam utrumq; recurrit, oleumq; iam pellucidius aquæ ſupernatat, aqua itidem pura oleum uehit. Sic anima corporis uoluptatibus implicata, dum altera ab altero ſubagitatur, propriam utrumq; naturam amittit, et tranquillitatem nacta in ſuum quæque locum redeunt. et anima quidem aurigæ in modum corpori inſidens, ſuæ pulchritudinis ſplendorem altius radiantem diffundit; corpus uerò ſua natura graue animæ imperio, dignitatique ſubijcitur, eique pro uehiculo eſt ad neceſſarios uitæ uſus. Cùm autem tale quippiam ſibi quoq; accidere poſſe uirgo animaduertat, neq; animæ lumen prauis corporis affectionibus conturturbet, neque eas, quæ ab anima oriuntur, cogitationes ſuæ uenuſtati permiſceri patiatur; ſed utrunque in ſuis ſedibus, ſuis ordinibus, officijſq; contineat, detque enixè operam, ut omnes partes inter ſe cum lepore conſentiant; quietum item corpus, animumque naturæ cõuenienter aſſueſcat, ut ex utriſque lepidus, mirificuſque concentus appareat, dum animæ ſplendorem ab omni fluctuum impulſu perturbationumq;

batiónumque procella defendis, et corporis formam ſtudioſius puram ab omni uoluptatis cœno, ac uolutatione conſeruas. Corpus enim crapulam, ebrietatem, coituſq; uoluptates eructās, ac prouomens, ea in animæ pulchritudinem immittit. anima rurſus furijs agitata, et de ſuo ſtatu deturbata inuidiam, iram, ſimulationem in corpore ſuſcitat. ſic fit quandoq;, ut carnis perturbationes ueriti, corpus ieiunio, duroq; uictu caſtigent, eiuſque prauos effectus elidant; animæ uerò uitia in tenuato corpore circumferant: ut uel hinc appareat, quantum claudicent, qui ad perfectam abſolutam ui- tam hac ratione aſpirant: quando alterum ab altero ſeiunctum, etiam ſi benè gubernetur, mancum ſit quodammodo ad uerā uirtutem. Neque enim fieri poteſt, ut corporis affectionibus ieiunio conuulſis animæ autem inuidia, ſimulatione, alijſque uitijs hærentibus corporis exercitatio quicquam in uirtute proficiat; neque ut anima ſuis exuta perturbationibus, corpore uerò carnis uoluptatibus, eiuſcemodique delicijs inuoluto, etiam ſi non uſque ad ſcortandum eius petulantia fuerit progreſſa perfectā in uirtute uitam noſtram ullo modo probemus.

Sed neceſſe eſt eum, qui ab omni colluuione remotum uirtutis curſum uelit oſtendere et animæ pulchritudini corporis bona accumulare, et iis, quæ corpore elaborantur, animæ benefacta ſic connectere, ut nuſquam diſſenſus appareat. Neq; uera, incorruptaq; uita ibi eſſe poteſt, ubi animæ, corporiſque membra inter ſe concordi quadam diſſenſione non conueniant. nec fieri poſſe arbitror, ut animæ dotes ſuo munere defungantur, ſi eas corporis uitia retardent, aut corporis uirtutes præſto ſint, niſi animæ bona anteuertant. Sed oportet animam et ſibi ipſi conſtare, et conſentiens quoque corpus habere. Sic anima et corpore eodem tendentibus beata uita probabitur. Quare uirgo ſicut aquæ oleum, ſic animam corpore ſupereminentem teneat, ac quemadmodum de corporis affectuum limo cauet, ne quid turbidæ uoluptatis in animã ſerpat; ideoq; ieiunijs atque exercitatione exorientes inde tumores comprimit, et terrenas corporis labes cõtinentia crebrò detergit: ſic etiam uideat, ne quid ex animæ inuidia, atque hippocriti, ne quid præ nimia elatione minus compoſitum, ſedatumue in corpus irrepat: ut ab indignatione, ira, omnique mi-

nus haneſta cupiditate mentem nudam, lucidamque in omni uita demonſtret. Quod ſi humanum iſtud organum ex anima et corpore conſtructum à perturbatione uacuum cupit habere, et harum rerum utramque in ſua pelle quieſcentem propriam uim uſumque prodere; huius quoque partes erunt; ſicut turbidos illos riuulos arcet, qui de uētre in corpus perfluunt, ſic eos etiam auertere; qui in animam illabuntur, ut ſic utrumque intra naturam ſine ulla conturbatione permaneat. Nam quam diu eiuſmodi perturbationes animum fodicant, præterquam quod uirginalis illa uenuſtas defloreſcit, et; quod maius eſt, corporis exercitatio luditur; multa etiam turpitudo ex huiuſmodi motuum prauitate apparet. quamquàm enim ſordes; quæ à corpore in animā influunt, ad naturæ neceſſitatem, ceu quamdam normā reſecet; ſi tamen peruerſis animæ motibus agitetur, parum ei corporis integritas profecerit, cùm propter perturbationum ſtrepitus in tali anima ſponſus ſatis tranquillè diuerſati non queat. immò magis ſibi ipſi uirgo hæc obſuerit, quæ non ſagacius ſubodorarit, quid domino placeat, et propter mentis, rationiſque peruer-

ſitatem abdicet à ſe corporei laboris fructum, atque mercedem. nam ſi propter animæ decorem corpus integrum caſtumque ſeruamus, ſuperuacanea eſt corporis pudicitia, quæ mille animæ perturbationibus uitietur: quippe cum diabolus quarumdam corpus pro peccandi inſtrumento arripiat, ut eius miniſterio animæ imponat; quarumdam rurſus, quorum corpora propter abſtinentiam aſperumque uitæ cultum aggredi non poteſt, relicto corpore nudam animam adortus, ijs affectibus, quos illi inſerit, ſæpe ſua tulit optata. Huc eas referes, quæ ieiunijs, aſperrimiſque uigilijs, et contentis corporis laboribus, atque exercitationibus eum à carne relegant; ira autem, indignatione, fictis moribus, inuidia, alijſque prauis affectibus in anima, ſinuque geſtant. Nam quantò anima corpus dignitate antecellit, tanto maius peccatum eſt, quod nuda anima committitur, quàm quod corpore perpetratur: proptereà quòd hic et cibus et naturalis quidam appetitus ad ingluuiem et libidinem cognatarum uoluptatū corpus inſtigat; illic nulla ſuadente corporis uoluptate deprauata, quædam mentis ratio præter naturam tales affectiones in animā in-

ducit. Quòd ſi uirginis corruptio animæ morbus eſt, morbus erit etiam animæ, indignatio, contentio, aliaque, quæ recenſet Apoſtolus, ac multò magis inuidia. Pari enim pœna plectuntur amans, et inuidus: nam ſicut amor amantis animam; corpusque conficit, ſi cupita non aſſequatur; ſic inuidia, inuidi corpus, animãque exeſt: nihilo enim magis amantes ſua cupiditate deluſi amore torquentur, quàm inuidi ſuis optatis defraudati, inuidia anima et corpore contabeſcant. His tale quiddam pœnè euenit, cuiuſmodi cereis ſtatuis accidit, quæ à figulis noctu fictæ, mox exorto ſole eius radijs liquefactæ ſoluuntur. illæ enim donec nocte, tenebriſque teguntur, duratam in umbra ab aura nocturna formam paulò ſolidiorem, ac firmiorem, ut ceteræ figuræ, nobis oſtendunt. Cum uerò ſol effulſit, ſuamque curſum cœpit conficere; reliqua quidem omnia eius radijs luceq; fouentur; hæ uerò formæ, lineamentis. omniq; uigore, ac robore diſſolutis collabuntur. Sic inuidi quandiu in diaboli tenebris, tamquam in nocte, de inuidiæ effectibus deliberant, tamdiu paulò tenaciores cogitationes, et habitus unà cum formis, ut eas inuidia finxit, ſibi inuicem

repreſentant. Vbi uerò bonus uir aliquis inſtar ſolis ad benefaciendum ſatis matutinus illuxerit, alij quidem omnes, qui honeſtam ſanctamq; uitam admirantur, et amant, diuini amoris ſcientiam colluſtrati, uirtutis fœtus educunt: inuidi autem cum eius lucem ob uitæ ſanctitatem tamquàm alterum ſolem rectè factis clarius quotidie ſplendeſcentem ferre non poßint, ut illæ imagines, ſicuti dictum eſt, ſic ipſorum corporum formæ animæ inuidia diſluunt, ut euaneſcant. Habeat itaque uirgo animum ſerenum; nec mentem diuinis cogitationibus ceu ex limpidißimo fonte ſtagnantem merſari patiatur, nec ijs ſermonibus fluctuare, qui foris per auditum ſubrepunt, nec ſpectris, quæ per uiſum animo occurrunt, pacatum mentis ſtatum percelli, commoueriq; ſinat; ut tamquam in nitidißimo ſpeculo ſuam ipſius imaginem, ſponſique decus intuita, paulò copioſius eius amore animam expleat. eam ob rem in nullã alterius faciem in hoc aquæ ſpeculo decet inſpicere, ne hæc ipſa ſuccedens priorem ſubmoueat; neq; ira, aut dolore, aut alia affectione perturbari; ne alioquin in hoc mentis æſtu, atque feruore ſeſe aliæ formæ prorſus oſtendant. Sed eo-

dem ſemper modo diuina lætitia perfuſam, nullum omnino aditum perturbatis commotionum fluctibus patefacere, nec cuiquam alterius, quam ſponſi imaginem ſibi referre. ſolus ille perpetuò in ea ſuam pulchritudinem cōtempletur, ſolaq; iſtius anima in illius ſpeculo fulgentem eius ſpectet effigiem, eiuſq; formæ decore exornari peroptet. Quamobrem cum eius animum in hac ſententia cōfirmaret ſermo diuinus, inquit, ſi ſpiritus poteſtatem habentis ſuperuenerit in te, locum tuum ne deſeras; ne ſi, ut libera eſt cogitatio conſcenderit, illa animo comprehenſa forma locum uelut in ſpeculo occupet, et nemine præſente peccati ſimulachra peruolitent. Sed omnis, inquit, locus in uirginis anima Chriſti præſentia repleatur, nec ulla penitus ſedes uacua in ea relinquatur, quò ſe otioſa cogitatio poſſit intrudere, ac ſua cōtemplari. Vt igitur paucis expediam, nullius præſentis, nullius abſentis hominis, quàm ſancti ſui ſponſi ſpeculum uirginis anima fiat, nec ulla alia, quàm hæc una in ipſa conſpiciatur effigies, nec alteri cuiquam animæ ſpeculum ſtudiosè adornet, quàm ipſi ſponſo, ut ſuæ pulchritudinis formam in illud inſpiret, indeque

eam beatiorem faciat. Si enim mortalis quiſpiam in hoc ſpeculum oculos inflectat, dubium non eſt, quin mens in huius facie contemplanda defixa, priorem ſponſi imaginem huic ipſi cedentem, ac ſubtrahentem ſe nullo modo aſpectare poſsit. Sicut autem qui ſcorto conglutinatur, unum corpus eſt, ſic, qui domino adhæret, unus ſpiritus eſt, qui corporis labes eluit, et animam ſui decoris pulchritudine allinit. Neque uerò exiſtimet quiſquam, dum uirginem ad ueram uirginitatem informamus, mortalis coniugij mentionem iniectam, ut aliquam ei nuptiarum cogitationem uelimus inſertam; ſed ex genitali copula animæ rationiſque cum Deo uerbo coniunctionem ſapienter oſtendimus. Sicut enim corpora nuptiali communione eamdem uoluptatem, dolorem, corruptionemque ſentiunt, quia in uoluptate, dolore, ac concubitus reſolutione ſimul in idem conſpirant; ſic ratio, animaque maritali quadam cum Deo uerbo conuenientia, atque conſenſu, integritate, ac uera pace perfruetur in ſpiritu; ſi in illa quiete, atque integritate, iuxta Dei uerbum ad unam ipſius ſanctificationem pura conuenerit. Oportet itaque eam, quæ uirginitatis

tatũ profeſſa: ſe Deo adſtrinxit, tanquàm ſapientiæ, uerboq; per omne uitæ tempus deſponſam, ſapientem; et alta quadam mente præditam eſſe, omneſque ſtultitiæ ac fatuitatis næuos aſsidua rerum diuinarum meditatione diſpungere, ac ſapientiæ ſplendore, cui ſe adiunxit, mentem ornare. Nam ſi cuiquam alij ad beatitatem properanti; Chriſti quidem certè ſponſæ maximè conuenit animæ functiones per ſenſus ab externis ad interiora cũ delectu traducere, ac cum ſponſo in reconditis, abditiſq; mentis thalamis, ceu cum Deo uerbo eſſe frequentem. in lege autem ipſius interdiu, noctuq; meditari. Ac pronubis quidem, lege iniquam, et euangelio, et ſi quid his conſentiens ſponſi pulchritudinem in clariori lumine collocat, oblectari; ac ſanctorũ uerbi ſenſuum fœtura quotidie magis exuberare; donec tota ita ſapientiæ coaleſcat, ut, cum in eum fuerit transfuſa, cui ſe deuinxit ex mortali immortalem, ex fatua prudentem, ac ſapientem ceu coſtam uerbi, cui agglutinata eſt, et in ſumma ex homine Deũ immortalem, ut illum, in quem coaluit, omnes agnoſcant. Nam ſicut ipſius ſponſus relictis proprijs ſedibus ac regnis, humano more ſe col-

ligauit, ut ipſi in dolore aptus atque connexus, eamdem in ſuam in dolentiam, pacemq; tranſferret: ita et ipſa immortalitatis ratione adhærere debet ei, qui ſe in ipſius gratiam principatu ac poteſtate ſpoliauit, et propter amoris ui m erga ſponſum ſe ita depauperauit, ut pro Dei forma ſerui formam ſumeret, ut ipſo ad cœleſtem thalamum redeunte unà cum eo conſcendat. Propterea, inquit, derelinquet homo patrem ſuum, et matrem, et adhærebit uxori ſuæ, et erunt duo in carne una. Quòd cum interpretaretur ille, qui Chriſti ſponſam ſua cohortatione præmuniebat; Sacramentum hoc, inquit, magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, et eccleſia. Neq; enim Chriſtus deſcendit in terram, ut numquam à ſponſæ latere diſcederet, ſed ut ipſam aſſumeret, et tranſmutatā de terra in cœlum perduceret. Ac Chriſto quidem deſponſa non Ioannem ſolùm habet, qui nuptiali lauacro ſubſeruiat, ſed Angelos quoque, qui illa in patris regiam aſcendente hymenæum concinant. Virgo igitur nō ante ſolùm ſed poſt etiam æterni uerbi coniunctionem, incorrupta permanet. Neque ut apud nos nouus maritus integram uirginem ſua copula cor-

rumpit, ſic animarum noſtrarum ſponſus pudicam animam ſua conſuetudine labefactat, ſed eam corporeis uoluptatibus à Diabolo corruptam nactus, ac propter corruptionem ipſius uxorem improbè effectam ſuo commercio de muliere in ſanctam, caſtamque uirginem facit euadere. Hanc nubendi rationem cùm per prophetas monſtraret, ad ſuam ſponſam conuerſus, inquit, „*Nunquid ut domum me uocaſti, et auctorem uirginitatis tuæ? quaſi diceret, et ducem caſtitatis tuæ. Vt enim auctor et Princeps uxoris corrũpẽdæ maritus eſt, ideoq; in eã habet imperiũ, ſic uniuſcuiuſq; noſtrũ integritatis primas dominus tenet, eãq; ob cauſa et dominus eſt, et ad principatũ peruenit, quẽ, etiã ut noſtræ caſtitatis domiciliũ decet agnoſcere, ut in eo maneamus atq; habitemus: quãdo quidem in ipſo uiuimus, mouemur, et ſumus, ut eius domum omni uirtutum genere, atque immortalitate exornatam ſemper incolentes numquàm ab ipſius immortalitatis ædibus excutiamur. Sicut namque ipſe apud dignos diuerſatur, ſic digni in ipſo rurſus habitant. Ea re quando nos de harum rerum naufragio eripit, ne ad ipſum ingreſſi, et iam cum eo ha-*

tātes in aliquem rurſus prolabamur errorem, ,præmonens, inquit, Manete in me, et ego in uobis. Cum igitur cæterarum rerum magnum, et eminentiſsimum quiddam eſſe uirginitatem palam ſit; tum prætereà regenerationis, et æternæ uitæ pura quadam ſemina etiam hic inter homines oſtendit. Nam ſi in reſurrectione neq; quiſquam uxorem ducit, neque nubit, ſed ſimiles Angelorum ſunt, fient filij Dei ij profectò, quorum induſtria in ſtudio uirginitatis euigilat, quique in numquam interitura carne humanam hanc uitam pedibus conculcant, Angeli, nec Angeli ignoti, ſed maximè Illuſtres euadent. quoniam illi carnis nexibus ſoluti, locoq; atq; inuicta natura muniti, ſe integros, caſtoſq; in cœlo apud rerum omnium latè regem Deū cuſtodierunt; hi in terris corporeis uoluptatibus exagitati, ac diaboli perſuaſionibus concuſsi, ſua uirtute caſtitatem ſarctam tectamq; non minus, q̃ Angeli creatori maiori cū admiratione ſeruarūt. Quo magis uirginū candorē quis admiretur, quæ fœmineo corpore cōcluſæ, inſitam ex eo animæ formā ab anima ſua exercitatione reijciunt, ſeque maribus (ſicut æquales animo factæ ſunt) ſua cōſtantia nō

inferiores oſtentant. ac ſicut illi optimo uitæ curſu in Angelorum ordines, coloniaſque tranſeunt; ita et ipſe eodem uiuendi inſtituto ad eoſdem dignitatis gradus adſpirent, ut, quæ in hac uita licet maribus animo pares eſſent, propter tamen fœminei corporis inuoluerum eiuſmodi claudicaret æqualitas, in futuro ſæculo ſe ipſas quoque omni ex parte Angelis exæquēt. Nam ſi come Angelis pares fuerint declaratæ, neq; nubent; neque maritos agnoſcent, quæ in hoc ſæculo iſtud idē recta uiuendi ratione ſunt aſſecutæ; hæ iam hic ſe Angelis æquales omnibus ſatis probauerunt, quæ mutuos illos inter marem ac fœminam coeundi appetitus reſecarunt, nudaq; anima hic in terris inter ipſos homines uitā ſuā trāſegerunt. Cum autē anima neque in marem, neque in fœminam commouetur, nec corporeæ uoluptatis ullo ſenſu titillatur, nec ſe in perturbationes uertit, neq; tranſformat; non amplius mas, aut fœmina, affectio, aut uoluptas; ſed omnia in omnibus Chriſtus eſt. cum propter diutinam deſſuetudinem abolita, atque ſepulta mutua illa corporum utriuſque ſexus affectione; anima in incorrupta ſua natura pertendat. Quæ autem uirgo

talis euaſerit, ſponſi ſanè ſeruos attingat: ſi non amplius in ipſius corpore fœminæ uoluptas ulla regnat. excipiat ſincerè fratrem, ac iuxta domini præceptum pedes eius lauet, aliȷ́que curationis egeno inſeruiat, cum inter ſopitas manus ſopitum quoque corpus uerſetur. Quoniã enim terrena membra extenuauit, nec iam ipſa uiuit, ſed Chriſtus uiuit in illa, et quod in præſenti corpore uiuit, in fide uiuit, omnia ſanè cum uirtute conficiat. Chriſtus ſolus regnet in ea, ſuoq; ibi fungatur officio. una cũ Chriſto ob peccatum crucifixum, tenuatumq; corpus circumferat, ſponſi iuſſa exequatur, ut in omni uita animæ decus clarius eluceſcat. Cum enim corpus corporis contactione non commouetur, nec erga marem affectui conſentit, ſed illud, cum quadam ſic loquar, ſtupiditate contrectat; ſepulta iacet in eo uoluptas, quàm corporis contactus exterior ad innatam affectionem excitare non poteſt. Hac enim ratione uirgines, quæ difficillimis Chriſtianorum temporibus propter ſpem fidemque, quam in Chriſto locarant, impiorum hominum libidini exponebantur, caſtis integriſq; corporibus euaſerunt: uel quia is, cuius amore ſe exponi ſuſtinuerãt,

nefariorum hominum conatus, impetuſq; earum corporibus alliſos frangeret, ac ſopiret, ſicq; incorrupta earũ corpora admirabili quadam potentia ſeruaret omnino; uel quia etiam ſi appeterentur, quoniam tamen eorum uoluptati aduerſaretur anima, mortuis corporibus uim inferre uiderentur. et illæ potius animæ pudicitiam uoluptati iniurij non aſſentientis ſponſo ſuo fide, ac uirginitate dilucidius probarẽt. Quarum exemplo nos quoq; dominus fortaſſe commonefactos uoluit, eas, quoniam ſpretis corporis bonis eius ſigna, caſtraque ſequuntur, eas, neq; animã defectione potuiſſe corrumpere, nec corpora, quia refragarentur uoluptati ullo modo labefactaſſe. niſi forte ſi quiſpiam uæſano furore correptus in iugulatam uirginem ſuam libidinem exerceat, quia cum mortua rem habeat, quis eam corruptam appellari poſſe cenſeat, cædere hanc quidem poterit, uitiare certe non poterit. ipſe enim eſt, qui corrumpit, idemq; qui corrumpitur: cũ uirgo, à qua animæ conſenſus abeſt, intacta permaneat. His conſimiles ſunt, quæ in ancipiti, duroque rerũ ſtatu omnibus illecebris, tormentiſq; ab hominibus tentatæ, etiam ſi quiduis perpetiantur,

propter corporis tamen extenuationem incorruptæ perdurant. Nã diuturna illa præcedens exercitatio ſic tentationi callum obduxit, ut in carne uiuentes carnis tamen imperium recuſent. Propterea cum hæ cæteras ad ſui imitationem cohortarentur, in ſpiritu, inquiunt, ambulate, et carnis concupiſcentiam ne perfeceritis. Quæcunq; igitur inter has numerari poſſunt, etiam hoſpitio ſuum in fratrem amorem declarent: quando Maria cum Domini pedes exoſcularetur, non ut hominis, ſed ut Domini oſculabatur. Nam ueterem, ardentemq; illam uoluptatem lacrymis reſtinguens atque conſumens, Chriſti amore, et ſanctis oſculis ſpiritum in anima prudenter accendebat. Viuebat ergo ſpiritu, et ſpiritum ducem ſequebatur, et, ut ſua peccata deleret, quicquid domino gratum ſciebat accidere, id agere prouidè ſtudebat. Sic autem peccato renuntiarat, ut cõmunem illum maris, ac fœminæ effectum, cuius uis in pedum tactu, oſculiſque maximè apparet, omnino ſe daret. Huiuſmodi, inquam, uirgo, ſi qua talis uſpiã eſt, tangat, et Domini mandatis obtemperet. Verùm enim uerò et hæc cum tanget, ſobriè parcèq; id ubiq; faciat, ne

propter

propter tangendi aſſiduitatem paullatim uoluptas à carnibus ſerpat in ipſam, et eius ueneno correptam uerè, quod abſit, uerbum illud in
„ eandem accidat. ſubrepente uoluptate pecca-
„ tum reuixit; ego autem perij, et dilectionis peccatum quod ad ſalutem fuerat datum, in me quidem deprehendi ad perniciem fuiſſe conuerſum. etenim ſi Angeli quoq; ceciderunt, qui pa res ſunt Angelis caſum magis formidare debent; ne poſteaquàm uirginitatis exercitatione ſe Angelis æquarunt, uidentes homines filias egregia eſſe forma, corporis uoluptate deuicti animum ad eas adijciant. Vnde illud ſtatim
„ Deus inclamet. Ego dixi Dij eſtis, et filij ex-
„ celſi omnes. Vos autem ad corporis uitia de-
„ lati, ſicut homines peritis, et ſicut unus de Principibus caditis. Quare multò ſatius fuerit uirgini, quæ et ſecuritati ſuæ conſulat, et nemině ſuo exemplo in fraudem uocare uelit, ſi hominum commercia ſapienter ubiq; deuitet, malitq; ob inhumanitatem in quarumdam reprehenſiones incurrere, quàm ad uoluptatem cum aliena iactura perduci; Si relictis rebus omnibus, et in uno domino tota defixa ſuum uirginitatis candorem, ab illa mutua corporum af-

fectione purum, de præſenti uita in regenerationis tempus reſeruet, hincq; iam aliquod eius lumen extollat. Transfert enim nos uirginitas de fragili, fluxaq; ad æternam perpetuamq; uitam. Maiores enim noſtri, ſicut dictum eſt, contractis inter ſe nuptijs exiguis ſeminibus omnes terrarum angulos hominibus referſerunt. Hæc autem ipſa uirginitas, quæ nuptiarum uoluptas in terram ſparſerat, ac ſeminarat, in cœlorum horrea congeſſit. Ad hanc ſiquidem ſeminum ad immortalitatem inuectionem cum „ Dominus noſter alluderet, Expandite, inquit, „ oculos ueſtros, et aſpicite, ut campi meſſe flaueſcant. Cùm enim terra prius inhabitabilis poſtea culta, et peruia facta eſſet, uideretq; Dominus noſter ubiq; gentium copioſam hominũ ſpicam, et nepotum ubertate turgeſcentem, meſſis colligendæ tempus iam cognouit inſtare. Virgo autem naturali ratione edocta, ſicut ad præſentis uitæ ſobolem propagandam ob nuptiarum uoluptatem humani generis ſemina iacta fuerant, ſic ad illam uitam acquirendam uitæ noſtræ ſemina per caſtitatẽ hinc iam eſſe ſpargenda, ſtudet per ſe nitida integritatis ſemina ad æternam uitam agricolæ concinnare, et ro-

buſtiori uirginitatis manu naturalem illum, mutuumque fœmineorum corporum erga marem complexum retundit, et inuicta potentia ſuam formam, ac pulchritudinem futuro regenerationis ſœculo comptius exornat. Quod igitur illis diuina potentia fuerat quærendum regenerationis tempore, cùm corpora reſurgerent, ac mutarentur, hoc ipſum uirgines ſua caſtimonia, ac uitæ integritate iam præpararunt; quæ hic ſicut Angeli neque nubant, neq; uxores fiant, ſed et animæ robore, et corporis integritate ſe illis non inferiores oſtendant. Quod autem uirginitatem Dominus noſter uoluerit eſſe quoddam incorruptæ uitæ ſeminarium, quod de terra in cœlum mirabiliter trãſferatur, et ex hoc uirginum incorrupto uitæ curſu corpora noſtra ad nũquam deſloreſcentem pulchritudinem excitare; inde ſatis apparet, quòd, cũ cœteris in rebus affatim legi paruerit, nuptias ſolas reiecit. oportebat enim, eũ qui de integra uirgine prodierat, etiam quod ad carnem attinet, neque nuptiarum corruptione pollui, neque ex huiuſcemodi coniugio ab integritate ad corruptionem peruenire, ſed nobis potius nuptiarum illecebra delinitis, atque

corruptis, ſuæ naturæ integritate ſuccurrere. et ſicut Adam nuptiarum dulcedine præſentẽ hanc uitam inſtaurauit; ſic illum hac uirginali integritate futuri ſæculi ſemina defodere: ut quemadmodum illum humanum genus mutuis copulis ſerentem non deſeruimus, ſic Dominum hac uirginea caſtitate terram præmollientem, ac ſubigentem, ut futuræ uitæ ſatus accipiat, prudentius conſectemur. Quòd ſi in Paradiſo, atque in priore ſtatu paullò attentius Adam conſideres, deprehendas utiq;, dũ eſſet in Paradiſo, non fuiſſe illi neceſſe, ut cum muliere rem haberet. Sed poſtquàm legẽ trangreſſus, et mortalis effectus eſt, et Paradiſo excidit; tunc primum illum cum fœmina conſueuiſſe, ut naturam iam mortalem ſobolis propagatione leniret. Sed uirgo contrà omnino, cum ſub eius auſpiciis militet, qui ad paradiſum ducit, incorrupta ſeriò iam cum eo in Paradiſo triumphat, et extra illam acrem caſtigationem poſita eſt, In dolore paries filios, et reliqua. cum percipere non potuerit, quomodo ibi Adam ſuam habuiſſet uxorem. Neque enim cum adhuc eſſet in Paradiſo, ſed eo iam eiecto illud prolatum fuit. Hæc uerò, non eò a nobis

*proferuntur ut interdictis nuptiis ab omnibus uirginitatem ſeruari ſanciamus, ſed ut eis, qui precioſam hanc margaritam ſibi comparare ſtudent, eius candorem quauis ratione patefa-
„ ciam. De uirginibus autem præceptum Do-
„ mini non habeo, ſed conſilium, inquit, do uo-
„ bis, tamquàm miſericordiam conſecutus à Domino: quandò nec Dominus noſter aliqua legis, aut euangelij ſanctione uirginitatem nobis indixit. Qui enim tunc, ſicut in principio huius orationis poſuimus, mutuum eiuſmodi ardorem mari erga fœminam, fœminæ erga marem propter nuptiarum neceſſitatem conſeuit, quique, cum illi ex immortalibus mortales eſſent effecti, prolis ſucceſſione excogitata immortalitatem, ſicuti docuimus, quodammodo reparauit, ideoq; dixit, Creſcite et multiplicamini; quorſum uirginitatem commendaret? cũ præſertim multitudine opus eſſe proſpiceret, quæ in eorum locum ſufficeretur, quos in bellis ſua ipſorum peruerſitas abſumpſerat. Quin etiam in Moſaica lege laude dignabantur, qui liberis procreandis operam dabant. Cum uerò ſuis fructibus terrarum orbis ubiq; floruit, et tanto hominum fœtu terra grauata eſt, ut ſu-*

peruenienti multitudini locum nullum relinqueret, extititque ſanctorum uatum de Domino noſtro illa prædictio; quòd, qui ſe eius diſciplinæ castè commiſerint, gladios ſuos in aratra contundent, et haſtas in falces conuertent, nec iam amplius gens in gentem diſtrictis gladiis inſurget, nec bellū gerere diſcent, per opportunè uirginitas hiſce ſucceſſit, quæ corpore corruptis ex iiſdem corporibus integritatem efferret. Nec tamen propterea, uti probauimus, aut per Moyſen habita diligenti naturæ corporum utriuſque ſexus deliberatione, de uirginitate ſeruanda aliqua lege cauit, neque in Euangelio de eadem quicquam ſanxit. Sed repetita Moyſis lege reliquum ad exactā uitæ regulam redigens, inquit, Dictum eſt, ne fornicaberis, Ego autem dico tibi non concupiſces, et quæ ſequuntur. Sedens item in monte à beatitudinis os aperuit. Cum autem Moyſis dicta percurreret, omniaq; ad perfectam uirtutem intenderet, uiaſq; ad ſalutem ferentes monſtraret, et completo docendi munere de monte deſcendiſſet; nuſquam tamen neque in ueteri, neque in nouo teſtamento uirginitatem in ſuis præceptis poſuit. Noluit quippe tantam uirgini-

tatis excellentiam certa aliqua lege concludere, ſed potius recti integrique animi documentum eſſe uoluit, qui ſua ſponte, ſuoque impulſu id agat, quod neque lex, neque naturalis ratio cogit. Coniugium enim naturæ gratia repertũ eſt, et lex naturæ conſentanea decernit. Virginitas autem præter uecta naturam, nec ullis adſtricta legibus, integritatis munus creatori, legumq; latori offert nulla neceſſitate cogẽte. Ideoque Dominus, (iterùm repetam) nuſquam inter ſuas ſanctiones uirginitatem retulit. Permiſit autem, ut ſicut homo ab æterna ad fluxam uitam præter naturam ob nimiã uiuendi licentiam defluxit; ſic à corruptione ad mentis integritatem conſilio, etiam inuita ratione perueniret. et huius quidem rei nuſquàm, uti dictum eſt, mentionem inter ſuas leges fecit; cum eximium quiddam beneq; informati animi officium eſſe intelligeret, quod naturam legeſque ſuperaret. Cum tamen audiret quendam dicentem, non expedit nubere, uirginitatis præſtantiam ſubindicãs, Non omnes inquit, cupiunt, eumdemque è ueſtigio ſecutus maximè diuinus Apoſtolus, cum uitæ neceſſaria in epiſtolis ordinaret, et eccleſiã quaſi

unum corpus à capite, ſic dixerim, ad ſummos uſque pedes et imos ungues ſingulis præceptis „ ornaret, de uirginibus nihil ex ſe protulit. Sed „ cum quæreretur ex eo, Dominum imitatus, „ inquit, De uirginibus Domini præceptum nō „ habeo. neque enim aut in lege, aut in Euangelio hanc præcelſi animi uirtutem uſquam reperio ad legem fuiſſe redactam; ſed, ut Dominus interrogatus, Non omnes capiunt, quærentibus reſpondit; nec tamen magnitudinem modumque ſeruandæ uirginitatis reticuit, ſed ſtatim ſubiectis tribus eunuchorum generibus, non obſcurè commonſtrauit: ſic ego quoq;, et ſi domini præceptum non habeo, conſilium tamen do uobis. Vbi enim quid ſupra naturam cū laude perficitur, inde omnis ſeruilis timor, et iuſſus excluditur. Liberum autem conſiliū ſanequam oportunè introducitur, ut uel hinc clareſcat, quomodò oporteat lege ſolutum, libertate meliorem fieri, et naturæ uim afferre, miraque ratione eam ad incorruptionem cogere. Quemadmodum ergo Dominus de uirginitate conſultus, tres eunuchorum ſpecies intulit, ſic eius diſcipulus uirginitatis conſilium „ ſubiecit, De uirginibus, inquit, præceptum

Domini

„ *Domini non habeo, conſilium autem do, tam-*
„ *quàm miſericordiam conſecutus a Domino,*
„ *ut ſim fidelis. exiſtimo igitur hoc bonum eſſe*
„ *propter præſentem neceſſitatem, quoniam bonũ*
eſt homini ſic eſſe. Alligatus es uxori, et hoc
uinculo constrictus prius, quàm uirginitatis
formam ceperes? noli quærere uxorem. quaſi
„ *dicat; ne quæras te in uincla conijcere. Si au-*
„ *tem acceperis uxorem, non peccaſti. et ſi nup-*
„ *ſerit uirgo, non peccauit: tribulationem tamẽ*
„ *carnis habebunt huiuſmodi, quæ doloris offici-*
„ *nam ipſæ ſibi aperuerint. Ego autem uobis*
„ *parco. Hoc itaq; dico. fratres tempus breue eſt.*
„ *reliquum eſt, (campi enim albeſcunt, et meſſem*
„ *appetunt) ut qui habent uxores, tamquam non*
„ *habentes ſint, non autem non habentes, ut ha-*
„ *beant. quod quidam faciunt, qui, cum uirgi-*
„ *nitatem uouerint, eamque ob cauſam uxore ca*
„ *reant, tamquàm tamen habeant, uirginitati*
„ *iniuriam faciunt. et qui flent, tamquam non*
„ *flentes, et qui gaudent, tamquam non gauden*
„ *tes, et qui emunt, tamquam non poſsidentes; et*
„ *qui utuntur hoc mundo, tamquam non utan-*
„ *tur. præterit enim figura huius mundi. Volo*
„ *autem uos ſine ſollicitudine eſſe: qui ſine uxore*

„ eſt, ſollicitus eſt, quæ domini ſunt, quomodo Do
„ mino placeat. qui autem cum uxore eſt, ſolli-
„ citus eſt, quæ ſunt mundi, quomo placeat uxo
„ ri. et diuiſæ ſunt mulier, et uirgo. inupta cogi-
„ tat, quæ domini ſunt, ut ſit ſancta corpore, et
„ ſpiritu. quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt
„ mundi, quomodo placeat uiro. Porro hoc ad
„ utilitatem ueſtram dico, non ut laqueum uo-
„ bis iniĳciam, ſed ut id, quod honeſtum eſt, ſe-
„ quamini, et quod facultatem præbeat ſine im-
„ pedimento domino ſeruiendi. Si quis autem
turpem ſe uideri exiſtimat ſuper uirgine ſua,
quod ſit ſuperadulta, et ſic oportet fieri, quod
uult, faciat, non peccat. iungatur matrimonio;
modo tamen intelligat, ſe propter puſillum uo-
luptatis fructum mortali potius uiro, et mun-
do, quàm Domino maluiſſe placere. Nam qui
ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſi-
tatem, poteſtatem autem habens ſuæ uolunta-
tis, et hoc iudicauit in corde ſuo, ſeruare uir-
ginem ſuam, benefacit. Igitur et qui matri-
monio iungit, benefacit. Satius eſt enim nu-
„ bere, quam uri. et qui non iungit, melius fa-
cit; quæ eam pro mortali uiro in matrimonium
domini collocat. Cæterum Dominus iĳs, qui

nuptiarum miſerias fuerant experti, et ægrè ferebant, quod nõ ita facile fieri poſſet matrimonij diremptio, eamque ob rem ſucclamabant, Non expedit nubere; Non omnes, inquit, ca-
„piunt uerbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Sũt
„enim eunuchi, q de matris utero ſic nati ſunt, quibus cum natura beneuola genitalia membra conuulſerit, nuptias aſpernantur. Et ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus, qui et diſciplina et perſuaſione adducuntur, ut uirginitatem ſeruent. Cuiuſmodi eſt uirgo, quæ ſub patris cuſtodia diligenter aſſeruatur, de
„qua extat illud, Qui autem ſtatuit in corde
„ſuo, uirginem ſuam ſeruare, benefacit. et ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum, quos cæteris anteponas, quippe qui nullis naturæ ad continentiam adminiculis ſuffulti, neq; ulla hominum cuſtodia ſepti, propter regnum cœlorum ſtadium uirginitatis currunt, eiuſque unius gratia connubium, uitamque contemnentes ad regnum cum athletico ſudore contendunt. Qui enim Eunuchus de matris utero prodiit, cum natura caſtus ſit, nihil habet de uirginitatis candore, quod ad eũ propriè referatur; cum, uti dixi, naturæ potius

beneficio, quàm uirginitatis amore nuptias reſpuat. quemadmodum et is, cui uirilia ab hominibus amputata ſunt; ſi ob cuſtodiam caſtimoniam ſeruare cogatur, nõ ei hoc beneficium, ſed cuſtodibus eſt acceptum ferendum. Qui uerò ſe ſua ſponte præcidit, continentia atq; omni exercitationis genere neſcio quid aſſequitur, quod cum ſingulariter attingit, ſuiſq; rectè factis, non alienis in cœlo gloriatur. Volunt autem ipſum in eodem docendi modo perſiſtẽtem, iterato ad eunuchos in Iſaia ſermone uarias eunuchorum formas tradidiſſe. Vt enim per Moyſen non eſſe adulterium commitendum ſine alia adiectione docuit; in Euangelio autem, et quomodo id non ſit faciendum, et abſtinendi modum latius explicuit: Sic per Iſaiam unius tãtum eunuchorum generis meminit; in Euãgelio autem, et quomodo, et uniuſmodi omnes eunuchos eſſe, ſed eſſe tres eorum formas expreſſit; ut ibi generatim eunuchum difinire; hic ſingillatim omnes Eunuchos deſcribere uoluiſſe uideatur. Neq; uerò antecedentibus hæc ipſa repugnant. neq; enim eunuchiam aliquam in Iſaia conſtituit, quæ legis neceſſitate conſtringantur, Sed prædicat quibus præmijs di-

gnentur eunuchi. Sed ſatius fuerit, ipſius uer-
„ba penſare. Hæc, inquit, dicit Dominus Eu-
„nuchis, Qui cuſtodierint ſabbata mea, et ele-
„gerint, quæ ego uolui, et tenuerint fœdus meũ,
„dabo eis in domo mea, et in muris meis locum
„nominatum meliorem filijs, et filiabus, nomen
„ſempiternum dabo illis, quod non peribit. Non
itaq; ijs, qui ſuo quodam fato ſunt Eunuchi,
prædicta bona pollicetur, ſed ijs, inquit, qui
ſabbata mea obſeruauerit, et quæ ego uolo, ipſi
quoque uoluerint. Sabbatum autem non in a-
gendo, ſed in agendi ceſſatione intelligitur:
quippe qui uelit uirginem ſabbatum obſeruare
non in eo, ut ſe caſtam ipſis Venereis gaudiis cu
ſtodiat, ſed incorruptam ſeruare uirginitatẽ
in eo, ne unquam in uenerem, libidinemq; com-
moueatur. uelut, inquit, Dei ſimulachrum et
anima et corpore uirgo in terris ficta eſt, atque
compacta. quare quod de ſabbato traditum
eſt, ad obſtruſiorem ſenſum trahat; ne manũ,
ne pedem, ne oculos, ne aliud membrum, neq;
ipſam etiam mentem, naturalis bonitatis cor-
ruptelam moueat. Sed tamquam bona Dei
ſtatua, nuſquam mentem corpuſq; dimoueat.
Sed tamquam lapis ſtet: ne quis per oculos, aut

per aures, aut per alium ſenſum furtim ſublabens, aut expreſſas illas forma Dei imagines deleat, aut abraſis primoribus, ſuas cum tuo malo imprimat. Vnde animæ dignitas imminuatur, et corpus tamquam materia pernicioſis quibuſdam manibus contactum, undique maculis, rugiſque fœdetur. Sedeat igitur immota domini statua, ac ſabbatum omni ex parte custodiat, ne uel ſi loco ceſſerit, aliquò impellatur, uel in ipſo motu ab aliquibus conturbata naturales aliquas formas iugalet, aut extera manu agitata, innatum decorem omnibus diripiendum præbeat. Ac fortaßis etiam ex hac ſabbati obſeruatione mirabiliter nobis innuit, quomodo naturaliter uirginitatem indipiſci poßimus. Sicut enim cum terminum ſalutis noſtræ præfiniret, Ne dixeris in corde tuo,
„ qs aſcendet in cœlũ? id est, Christũ deducere.
„ aut quis deſcendet in abiſſum? hoc est Christũ
„ à mortuis deducere. Sed quid dicit? Prope te est uerbum in ore tuo, et in corde tuo. nec neceſſe habes cœlum, aut abyſſos, quæ longè à nobis abſunt, penetrare; ſed ante pedes poſita ſunt,
„ utere tam commoda occaſione. Quia ſi confi-
„ tearis in ore tuo Dominum Ieſum Christum,

„ et in corde tuo credideris, quod Deus ſuſcita-
„ uit illum à mortuis, Saluus eris: ita et de uirginitate cenſet. ne eo confugias ſcilicet, Quomodo aſcendam in cœlum? ut inde mihi uirginitatis integritatem deripiam? aut quomodo in abyſſum deſcendam, ut hanc eandem Diaboli olim fraude corruptam, mihi ipſi recuperem? ſed quid infert? Prope te eſt, inquit, et uuà cum natura agnata uirginitas Quamobrem neque maria ad eius poſſeßionem acquirendam tranſnare opus eſt, aut immenſum aerem permeare, aut candẽ inueſtigando omnes terrarum oras peragrare, ac dimetiri, aut humo in cœlum ſubuolare, ut eam inuentam teneas: Sed uti demonſtrauimus, omiſſa hac rerum maiorum indagatione in te ipſam deſcende, ac uires tuas diligenter explora. hanc intra naturam tuam latentem profectò reperies. ſin autem hanc in tuto apud te collocare uolueris, ſabbatum in omne tempus obſerua, ſic nimirum, ut ne natura tua fines excedas, ut neque tangendam manum uiro porrigas, nec diſtracta coniungas, nec ſoluta deuincias, nec incorrupta membra alterius generis membris implices, atque corrumpas. Sed mane id, quod

es, in cubiculo lectoq; tuo, neque præterea quicquam curioſius exquiras. Tecum Sabbatum celebra, nihil agas, quod diſſoluat eorum quidquam, quod natura ſtatuit. non tu muros, ac mœnia ſuperare cogeris, ut uirginitatem ueneris: imò fortaſſe quis hæc fecerit, et tamen uirginitatem amittet. Sabbato autem in tuo ſtrato ſeruato, candidam ipſam quoq; cuſtodies; hinc facilè, inquit, uirginitatem, rem omniũ optatiſsimam conſequeris. neque enim producens, aut aliquid noui molita hanc tibi compararis; ſed ſi intacta ea uirgo permanſeris, quæ de utero prodiiſti, et præclarã de te opinionem apud omnes concitaris. Quod ſi ſemel hanc uirginitatis poſſeſsionem amiſeris, ut omnia agas, quæ recenſuimus, ut cœlum, terram, mare, abyſſum, aeremque pertranſeas, nihil profeceris, nec ullo modo eam amplius recuperare poteris. Qui enim fiat, ut ſemel corruptum integrum reddatur? qui fingi queat, ut quæ de uiro guſtarit, non guſtarit? et quod appetitus uoluptatis, ac perturbationis uulnus accepit, quæ ratione intactum cenſeatur; cum corruptionis ſigna, et uulneris cicatrices adhuc in anima, et corpore appareant? Pœnitentia enim

peccatum lenire, mitigareq; poteſt; ſed, quod corruptum eſt, ſe redintegrare non poſſe, perpetuò mœret. Quoniam igitur tam præſtans eſt hoc patrimonium, et eis, qui illud optimè conſtituerint, præmia proponuntur ampliſſima; Domini doctrinæ, monitisq; morem gerentes, ſic ſabbatum celebremus, ut à capite ad calcem uos noſtra docuit oratio. ac naturalem huius diuinæ ſtatuæ pulchritudinem nitidam, nullaq; labe reſperſam omnibus modis ſeruare laboremus. Nec ſolum ſabbata mea uirgo cuſtodiat, ſed optet etiam, quæ ego uolo. quid autem aliud, quàm incorruptam uitam Dominus requirit? quam quia unà cum ſabbati obſeruantia ex collatione corruptionis, quæ nuptijs comitatur, delegit, et in uirginitate poſuit, proq; Domini teſtamento in mandatis eius ſtetit introducetur ab eo in domum, tectumq; ſuum; et locum digniorem ac meliorem filijs atque filiabus accipiet. neque enim ijs ſolum Eunuchis, qui ſabbati mei ſolennibus operam ſtudioſè nauarint; et uoluntati meæ obtemperarint; ſed ijs etiam, quæ teſtamenti mei patrocinium ſuſceperint, prædicta præmia decernam. De ſponſi igitur teſtamen-

to diu, noctuq; uirgo cogitare debet, et de eo quidem teſtamento, quod pro ipſa moriens in ſcriptis de ipſius integritate condidit, cumque teſtamenti meminerit, ueniat etiam in mentem mortis, quam eius gratia ſubijt: et quoniam ſeipſum pro ipſa tradidit, ut ipſam ſanctificaret, eius teſtamentum omni uita tueatur; hoc eſt, ne diſpenſationem pro ipſius ſalute eius morte perfectam eludat. Sed poſtquàm ſua libertate diuendita, ipſam proprio ſanguine redemit, redemptam non libertate ſolum honeſtauit, uerùm ſponſam quoq; ſibi adiungens, gratiæ quadam exuberantia regina honore dignatus eſt, iccirco teſtamentum ipſius amplectatur. hoc eſt, ut apertius loquar; cum ipſi quaſi nuptiale aliquid ſuo teſtamento adſcripſerit, tamquàm ſi iuſtæ nuptiæ intercederent, ſtipulanti, ac paciſcenti conuictum ſemper ad ſtipuletur, omnemq́; reprehenſionem à ſe ipſa, defendat, ut, ſi hic digne, et ſine querela cum ipſo uixerit, cum eodem illuc in bonorum ſocietatem ueniat. ijs enim, qui ſabbata mea ſeruarint, (iteratio dicam) quiq; mihi grata tantum fecerint, acreſq; teſtamenti mei propugnatores præbuerint; patebit, inquit, aditus in

ades tectaq; mea, aſsignabiturq; locus feracior, melior filijs, ac filiabus. Ne enim quaſi ſteriles, atq; infructuoſi hominum opprobrijs obijciantur, ita, inquit, mihi intimi, amiciq; erunt, ut intra eandem domum, eoſdemq; parietes mecum habitent. Ad tantos autem honorum gradus apud me peruenient, ut, quicquid nobilitatis liberorū procreatio potuit afferre, non queat cum ipſorum dignitate certare. Deſcribam enim, inquit, eis locum non habitandi ſolum, ſed etiam ad dignitates progrediendi; et locum quidem adeò illuſtrem, atque eminentem, ut dignitatis altitudo ſucceſsionem ſobolis facile uincat. Sed quid, inquit, amplius de ſecretioribus iſtis Eunuchis habeo dicere nomen eorum ita æternitati commendabo, ut ſucceſſorum ſuorum ſtirpi ſuperſint, nec umquam intereant. Hic enim cum corporum filij patris nomen induant, ut patrum uitæ ſenectute dilapſæ ſuccedant, ſic eorundem nomen ad nihilum morte redactum ſubeunt, ut in ipſis parentes reuiuiſcant. Cum autem maiorum genus, ac nomen hoc pacto renouarunt, paullo poſt tempore ſemper ad finem properante, mortali natura ipſi quoque interimuntur,

et genus ſine nomine relinquunt. Quod autem Eunuchi præter principes ſedes à me nomen acceperint, id ipſum ſanè (ut rurſus idem repertam) omnem generis propagationem excedet, ut et ipſi, et qui ipſos uiderint, miro rei exitu obſtupefacti, melius ſecū agi prædicent, quàm cum ijs, qui filios, filiasq; ſuſtulerint, qui perſæpe uel loco turpitudinis, uel peccati nomine maioribus ſuis infamiam irrogant. Nam pro humano, inquit, nomine immortalium Angelorum nomine eos inſigniam, quod nulla ætas oblitteret: ut cœlum quidem, ac cœli formoſiſſimam partem pro diuerſorio habeant: in cœli uerò pulcherrima ſede, hoc eſt in domo mea, et muros meos habitantes, non Angelorum naturam ſolum immortalemq; dignitatem conſequantur, cum nec ope ſucceſſionis egeant, qui in illa ſempiterna uita ipſi ſibi perpetuo quodam modo ſuccedant: ſed locum etiam maximè inter Angelos inſignem eis adſcribam, et nomen quod propter rei bene geſtæ magnitudinem, atq; excellentiam nullo tempore pereat. Sed altius pedes figant, ne ſicut è terra, et hominibus in cœleſtem dignitatem ſe ſubleuarunt, ſic ab Angelis, et cœlo in terram

„grauiore lapſu corruant. Vidi enim, inquit,
„eum, qui quandoq; in cœlo fulminabat, tam-
„quam fulgur de cœlo cecidiſſe. Quod cum ad eorum aures accidit, omni ex parte ſe munire debent omnino. Talibus itaq; præmijs digni in cœlo iudicabuntur diuini illi Eunuchi, qui mentem caſtam ſeruarint; nec à ſimilibus repellentur, qui in tenera adhuc ætate ui, manuq; tyrannica ſecti, ac præciſi fuerunt, inuitiq; in corporeo Eunuchiæ ſtatu poſiti, ſe ipſos ſponte caſtrauerint, mentiſq; perturbationes ita reſciderint, ut ab omni quidem malo ferientur, ſabbatumq; agant, et in ijs eligendis, quæ domino placuerint, tutandoq; eius mandatorum teſtamento animi robore ſe non ſteriles eſſe declarauerint. His enim diuidetur locus in domo domini fructuoſior filijs, ac filiabus; cum non amplius lignum aridum ob ſobolis ſterilitatem uideantur, ſed uelut uberiores ſegetes multiplicibus iuſtitiæ fructibus exornentur,
„Plantati enim inquit, in domo Domini uide-
„buntur, in atrijs Dei noſtri florebunt. Non igitur (ut eodem reuoluar) non, inquam, uirginitatem indixit, ſed id liberis hominum animis relinquens, quibus præmijs eorum labores

compenſarentur, qui ſupra naturam ſuos conatus intenderent, ſub reconditiore hac Eunuchorum ſpecie uoluit indicare. Qui uero minime percipiunt, quid ſibi illa uerba uelint, Et ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum, perridicule ſe mutilarunt, qui uel hoc facto ſuam libidinem maximè prodant. Nam qui arma corporei amoris abiecerint, ne retenta ad officium ſuum proſilirent, ſatis apertè ſignificant, ſe quidem in concubitus moueri, ſed armis exutos, non quia nolint, ſed quia non poſſint, à luxuria temperare. Lex autem diuina non tam factum, quàm mentē dijudicat: adeo ut quicumq; uiſam mulierem concupierit, etiam ſi ad rem uoluntatem non conferat, iam tamen adulterium commiſerit. illa uerò pudendorum ſectio, amputatioq́; quid aliud, quæſo, clamant; quàm maius adulteriū appetitus oculo perpetrari, quàm ſi numquam quicquam fuiſſet abſciſſum? ſuis quippe uiribus diffiſus, ac dubius, num cupiditates ſuas domitas habere poſſet, ſecuit, quod ipſum ad concupita pertuliſſet. uel potius, cum uideret, fore, ut æquo proteruius omni intemperantiæ dederetur, armatam nequitiæ anſam ſectione

76

ſpoliauit, ut corpore ille quidem uoluptates cohibere uideatur, animo autem, et mentis cupidine ita laſciuiat, ut in unamquamque mœchetur. Vociferatur enim eminus contra ipſorum intemperantiam conatus. Quare ex huiuſmodi reſciſſione non iniuria quis eos petulantiores fieri dixerit. nam cum ſibi ipſis imperare non poſſint, uereanturque, ne ſi ad rem ueniant, eorum ſcelus foras afferatur; ut ipſis liceat pro arbitratu cupiditate frui, cum uoluptati ſint omnino addicti, nolintq; operis perfectieonm ſibi impedimento eſſe, quominus ſint in perpetuo uoluptatis fructu: abdito facti, ſcelerisq; indicio liberius iam atq; impudentius in omni concubitu uolutantur. Quòd ſi, ſi quis armato alicui telum intentet, licet lorica prohibeat, quominus uulnus, cædesq; ſequatur, tamquam tamen homicida iudicio punitur: et qui nudo uoluerit uulnus inferre, etiam ſi caſu aliquo gladius de manibus elabatur, uelut tamen ſicarium eum leges iuraq; condemnant, quia non factum, ſed uoluntatem ſpectant: meritò ſanè et genitali parte inſtructus, quamuis fide uallatam aggreſſus corrumpere non potuerit, nihilominus ceu corruptor pœna dignus

iudicatur, non aliter, ac is, qui in nudam ad corruptionem inciderit; moxq; ſe operi accingat; quamuis propter arma ex ſectione abiecta, corruptio nulla fiat; tamen perinde quaſi ad corruptionem peruenerit; rectè plectetur. in qua quidem re nec ipſa uirgo intemperantiæ nota caret. quis enim credat, eam corruptionis ictum, plagamq; ab intemperante illatam repuliſſe, cum nulla ſint arma? Vbi enim aduerſus natura armatum fortiter pro ſua pudicitia depugnat, ibi præmium liquido apparet. Vbi uerò rurſus uir quidem inermis, conſuetudo autem ſine diſcrimine eſt, uel potius luxuriæ plena, uoluptate undiq; diffluit; cum de temperantia non liquet, tum laſciuia plurimis ſuffragijs apud omnes obtinet. Hactenus de ijs, qui unà cũ teſtibus genitalia abſciderũt. Nam qui poſteaquàm in pubertatem uenerũt, factiq; ſunt gignendo, ſolos teſtes amputant, aiunt hos ardentius, atq; furioſius in uenerem concitati; nec concitari ſolum, ſed ut ſibi uidentur, ſine periculo quaſcunque corrumpere. ferunt enim, conuulſis inferius teſtibus; qui ſemen à lumbis, et renibus ad illam partem uerendam transferunt, uias meatusq; ſuperio-

res

res poſt ſectionem obſtrui; feruente autem intra renes cupiditate, atque ita ſemen interuertente; uirum quidem ad profuſionem ſeminis uehementius commoueri; ſed cum ſpumans ſemen foras iaculare non poßit, armari mucrone, quem ubi ad concubitus perfectionem reſeruauit: ceterum teſtium amputatione, ueluti quadam eſca mulieres fraudulenter captans, fœdius, atque obſcenius commiſcetur. Qui enim retinuit, quod natura dedit, cum teſtes ſuperne ſemen excipiant, hucq; ad ſationem tranſmittant, illa ſeminis effuſione corruptus, cupiditatem facile ſedat. hic autem cum non habeat, unde pruritus illos extinguat, non prius quidquam de tentigine remittit, quam labor cum rabie furentem diſſoluat. Atque hæc quidem non naturalis tantum ratio nos docet, ſed experientia etiam hac noſtra memoria teſtatur, ut mihi uir quidam ſenex, canitie, uitaque uenerandus retulit, qui ſe de muliere audiſſe dicebat. Aiebat is, narraſſe ſibi mulierem illam, eum, cui ipſa à marito commiſſa fuerat; domini ſcilicet eunuchum, tamquam uirum ſecum rem habuiſſe, ſeque id audentius factitaſſe, quod ſperaret fore pro-

pter eius ſterilitatem, ut ex eiuſmodi comple-
xu grauida fieret numquam. Nec hic ſolùm,
ſed alius quidam etiam nobis arctè coniun-
ctus, qui certè non mentiretur, affirmauit,
uirginem quandam iam Eccleſiæ deuotam ſibi
non ſine gemitu enunciaſſe, ut Eunuchus qui-
dam ipſius lectum cõſcendiſſet, ipſamq; arctius
complexam cum uoluptate baſiaſſet, totamq;
totus preſſaſſet, poſtquam autem nihil haberet,
quo furorem illum reſtingueret, ut auidè ori
dentes affigeret, ut uel his notis atque morſiun-
culis ardentem illam coeundi rabiem rusticè
ſignificaret; ſic Eunuchiæ eſca, atque illece-
bris impudentem uirginem fuiſſe circumuen-
tam: poſtquam uero dolos ſenſiſſet, et hominem
auerſatam, et non ſolum cum hoc, ſed cum plu
ribus alijs de illius præſtigijs, atque captionibus
ad ſuam cupiditatem accendendam adhibitis
fuiſſe conqueſtam. Duos autem tantum locu-
pletiſſimos teſtes adduxi; ne, ſi plures alios col-
ligere, ac nominare uelim, præter ueſtram uo-
luntatem longius noſtra procedat oratio. Da-
bit autem, opinor, quiſque nobis iuſtam ue-
niam, cum hæc non tam uirginalis candoris
præmuniendi cauſa planius expoſuerimus, quã

ut plurimos eiuſmodi Eunuchos reprimeremus, qui iam in Eccleſia percrebuerunt. Perſpicuum eſt enim, totum hoc inuentum dæmonis machinas, et fraudes eſſe: quos enim prior ætas apud gentiles, iſtos eoſdem nunc apud nos præter rem edidit. et ſectionem ibi temperantiæ nomen huc eodem modo contra naturam tranſtulit, ac renouauit. Vehemens eſt enim ueterator hic noſter in eam partem, ut fidem in Dominum boni ſpecie in uitium facilè commutet: quod ex anteactis eius rebus licet intelligere. Sicut enim apud gentiles, quibus artibus Deum cognoſcere ſibi uidebantur, illis eiſdem eum fecit ignorari; (mundus enim hic in promptu eſt, ut illius gloriam predicet, qui eum tanta rerum uarietate exornauit: illi autem proportione quadam harum rerum, quæ aſpectu ſertiuntur, pulchritudinem architecti non æſtimarunt, ſed rem creatam potius quàm creatorem coluerunt, et adorarunt) et ut quæ uia eos in Chriſti cognitionem uenire oportuerat, hac eadem ad ignorationem perduxit; hoc eſt; ſcripturis, quæ Chriſti magnitudinem extollunt, hæreticas ſententias inſerijt, ut hoc aſtu ueræ ſcientiæ tenebras offundat: ut item

ſpecioſo nomine uerſutè nobis perſuadere conatur, ut à Chriſto deſciſcamus, eumq; mentiamur; ſic ſub tectioris Eunuchiæ uocabulo, temperantiæ, nomine iniecto, eos mutilos, impudicosq; reddit. Quare neque cum his decet uirginem temerè aggregari. nam ſi femina feminam iucundè complexa, ferueſcente intus ſanguinis flore ac robore, ſæpenumero ex mutua corporum contactione ad ea corpora inflammantur, ad quæ naturæ quadam conditione deferuntur; (qui enim peccatum in membris noſtris lege ſanciuit, poteſt uel furtim per medios ſenſus irrepere, et ex amica illa, modeſtaq; uiciſſim feminarum uoluptate, modeſtam quidem ſubducere, maſculam autem callidè ſummittere) quanto æquius eſt uirgini mares, licet ſint Eunuchi, deuitare? ſit ſanè Eunuchus, uir tamen natura eſt. Sicut enim cornutus bos, cui præciſa ſint cornua, cornuum ſubtractione equus non fit, ſed bos adhuc manet, licet cornibus careat: ſic mas, eliſis omnibus membris, non tamen idcirco mulieris perſonam induit, ſed maris naturam adhuc retinet, quamuis membra poſuerit. et ſicut cornupeta, cui cornua amputata ſint, animo cornupeta adhuc

eſt; quippe qui et inflexa cruice, et capite ad feriendum compoſito, minus ferociter intentet, perſæpe etiam ea corporis parte feriat, qua cornibus erat armata; animumque imaginaria facultate promat: (ſic enim furore correptus afficitur, ut non ferire tantum, ſed, uti prius, cornu diffindere uideatur) ita mas, cui genitalia ſint ſublata; coeundi appetitu mas permanet; ideo ipſe quoque conſimili ratione ſeſe ad opus parat, amorem ſpirat, uacordemque inſaniam. Quin etiam in uenerem commotus, etiam ſi parte illa tremulus mulierem non corrumpat, ſic tamen animo, menteq; perturbatur; quaſi re uera cupiditatem expleuerit. hanc cum ad uere peccandum acrius irritauit, et totam mentem labefaceat, et corpus ad corruptionis perfectionem laceſſit. Quapropter uirgo, quæ ſe ita parauit, ut integram etiam interius uirginitatem ſeruet, adhibeat in horum quoque congreſſione delectum. Quòd ſi Sirach monitis, quæ maximè ad rem noſtram pertinent, auſcultare uelimus, Tamquàm Eunu-
,, chus, inquit, uirginem amplexans, et inge-
,, miſcens; nimirum, quia non poſſit, quod cupit, efficere. et concupiſcentia ſpadonis eſt, de-

uirginare iuuencum, quaſi dixerit, Quamquam matrem propter ſterilem naturam facere non poteſt, uirginitatis tamen florem carpere poteſt. Non igitur rectè à continentia laudabimus hos, qui genitalia proiecerunt. Neque enim equos, quia cornu non petant, ſed quia non recalcitrent, amamus; boues autem, quia cornu non feriant, tamquam faciles ac manſuetos eadem ratione probamus: neque quemquam, quia non poſsit, ſed quia, cum nocere poſsit, potentia non utitur, admiramur. Quod ſi eiuſmodi ſibi partes auellunt, quod ea ratione putent, animam à peccatis auelli: configant etiam oculos, qui multa præter decorum aſpiciunt, amputent manus, abſcindant pedes, intercludant aures, ne quid eorum peccandi materiam ſuggerat. Sin autem abſurdum eſt, ueſaniæq; ſimile, omnia membra undique præcidere, et, ut dicitur, tamquàm lignum inutile corpus cum cauſa abijcere; quamuis repentes per membra cogitationes mentem ad peccata impellant; ſinant ſanè omnia membra intra naturæ cancellos, hisq;, uti ſupra demonſtratum eſt, ſagaci ratione moderentur, ut non neceſsitatis, ſed uoluntatis noſtræ ſit hoc tantum

beneficium. Neq; uero, quæ expoſuimus, in omnes Eunuchos transferri uolumus; ſed de ijs tantum, qui, ut liberius cum mulieribus uerſandi poteſtatem nanciſcantur, ſe ſtultè ceciderunt, et de ijs omnibus omnino, qui muliebria commercia ſtudioſius conſectantur, hæc ipſa protulimus. neque enim nos fugit, ſicut uiri quidam ſanctè mulieres attingunt, ſic Eunuchos, qui non uoluntariam corporis mutilationem in uoluntariam animæ continentia uerterunt, integrè caſteq; mulierum familiaritate uti. Vt autem cautiores, purioresq; ſint uirgines, monemus eas; ut, quemadmodum uiri, qui paulò alacrius animam ad mulieres applicant, iure ac meritò turpes in ſe ſuſpitiones exſuſcitant; ſic Eunuchi qui in feminarum greges ſeſe libenter intrudunt, haud facilè ſe ſuſpicione euoluunt. Qui enim diſcrimen nullum in muliebri collocutione conſtituunt, ſed congrediendi etiam cauſas quærunt, ij non iniuria, iuxta naturæ rationes, quas antepoſuimus, maiore uiris infamia notantur: quandoquidem illic poteſtas perficiendi, quæ concupierunt, peccati conſummationem præ oculis ponit, itaq; caſum ueriti uoluntatem à peccatis

coercent, hic autem cum uis tanta non ſit, ut poßint, quod auide petierunt, abſoluere: hæc confidentia eos ad uoluptatis fructum audaciores facit, et peccatum uoluptatis magis atque magis exauget. Nec uerò exiſtat aliquis, qui in hanc noſtram orationem inquirat, quòd præter uirginalis pudoris decorum in indaganda maris natura ſe paulò altius extulerit: primum quidem, quia nulla uirgo, quæ in iuſtam ætatem peruenerit, tam fatua eſt, ut ignoret eorum quidquam, quæ in eius natura ſunt, de cuius latere auulſa eſt. Quandiu enim corporis membra tenera ſunt, et acerbiora, quàm ut naturæ munia poßint obire, lex nullam peccati mentionem facit: immo uerò non malè quis fortaſſe dixerit, tamdiu membra ſui muneris functionem ignorare, licet natura ad ſuum officinm ipſa ſua ſponte feratur; ut eſt uidere in rationis exſortibus animalibus, quæ ipſa natura docente ſtatim diſquirunt procreandi coniunctionem. quinetiam infantes quidam deprehenſi ſunt, qui in membrorum teneritate uiriles coitus imitarentur. poſtquam autem ad pubertatis annos euaſerit, ut iugum ferre poßit,

ad

81

ad quod ſubeundum natura ipſa impellente deducitur, ilicò lex peccati ſucceſſit, quæ cuique membro ſuum munus diſpertiret, et legis membra mente oppugnaret, et peccati lege unumquemque in ſeruitutem per membra redigeret. Quare cum membrorum legem magiſtram habeamus, nemo illius peccati ignorantiam excuſet, ad quod nati, factiq; ſummus. Nam et labia norunt in amore, quorſum conſtructa ſint, et unumquodque membrum eatenus alterius membri ſcientiam tenet, quatenus ſeipſum naturæ inſtinctu nouit: quando neque illius membri operam deſideraret, ſi eius naturam uimque ignoraret. Itaq; nullam culpam ſuſtinemus, qui, quod uirgini manifeſtum eſt, ſed propter neceſſitatem quandoque ſubticetur, tempore opportuno refricemus. Deinde, quia licet maris naturam ignorent, ne tamen eiuſmodi ignoratio fiat peccandi illecebra, non ſine ratione ad ipſorum cautionem eius naturam, prout ſe habet, aperuimus, ut quomodo ſimplices ſunt, ſicut columbæ ſic prudentes factæ, ſicut ſerpentes, omnes impetus, qui in ipſarum integritatem conuertentur, hac præceptione communita eludere,

ac propulſare poßint. Prӕterea, cum communis uirginitatis expurgandӕ, tuendӕq; gratia hanc ipſam orationem ſuſceperimus, parem amorem tam maribus, quàm feminis debemus. Vt igitur illis, ſic his, quid fugiendum, quid expetendum ſit, praſcribere oportuit; ne Eunuchiӕ nomine innixi, in contrarium incurrant, ſed ut, cum cognorint, quantum ſcelus perpetrent, qui ſibi abſurdè membra conſcindunt, qualiſque eſſe debeat is Eunuchus, quem Dominus ſuo patrocinio, atque habitatione dignatur, mentem ad ueram Eunuchiam ſuo cum lucro adiungant; et complures Eunuchi, quos prӕpropera in amputandis uirilibus feſtinatio iampridem tranſuerſos agit, hac oratione perculſi ſeſe tandem reſpiciant, et comprimant. Cum igitur tanta cum cura, ac diligentia uirgo in hoc uitӕ curriculo degere debeat, contineat ſe ab omni maris contactu, et, ſi cum feminis dormiat, ad ſe conuerſa mentem in cœlum efferat, eamq; totam de corpore educat, et ei ſuccinat, qui
,, dicit, ſcio me ipſam (ſiue in corpore, neſcio;
,, ſiue extra corpus, neſcio; Deus ſcit) quod
,, rapta ſum in Paradiſum, et audiui arcana

82

,, *uerba, quæ non licet homini fari. Cum enim ſponſus ipſam uigilantiſsimam in ſuo amore de cœlo deſpexerit, ac noctis tenebras, quæ alijs peccandi occaſionem ſubminiſtrant, ad diuinas meditationes, et ſui ipſius collocutionem conuertiſſe, inuolutam noctis tenebris, ne exterioribus ſenſibus interturbaretur; totamq; mente ſponſi lumine illuſtratam, eiusq; lampada integra nocte in occulto ſtudioſè ornantem rapiet meritò uſque ad tertium cœlum ad Paradiſum, eique eiuſmodi myſteria aperiet, quæ ijs, qui in corporibus degunt, enunciari non poſſunt: illa uero uſque eo mentis abſtractione procedet, ut planè ignoret, uerum in corpore, an extra uiuat, et myſterijs illis fiat intima. Quo in loco cum uniuerſum uirginum chorum conſtitutum uidere diſcupiam, compreceróq; ad euitationem eorum, quæ uirginitatis decus imminuunt, hæc ipſa percenſuimus; non ut ex eorum ſcientia diſcamus, quomodo oporteat ad noxia delabi, ſed ut cum lubricorum anfractuum naturam nouerimus, ſtatim ſciamus, quanam ratione inde refugere ac retroſilire poſsimus. Neque enim præceptores medicinæ tyronibus cum uenena,*

et omnia omnino, quæ morbos important, enucleatius examinant, atque perpendunt, ipſos ad eorum uſum cohortantur, ut, cum eorum uim, ſcientiamq; teneant; mente ad malum appulſa, pro medicis peſtes ac lues humanæ uitæ fiant; ſed ut, cum nouerint, quæ naturalem noſtram uim corrumpunt, ea contrarijs remedijs, et aduerſa poteſtate perfligent. et ſi quid tale corporibus accidat, illud ſua ſcientia tollant. Cum igitur pro tribus Eunuchorum formis tres quoque uiæ ſint, quæ nos ad uirginitatem manu deducant, quas Dominus noſter monſtrauit: quam quiſque uelit, capiat, ſi capere poteſt. Neque enim uituperanda eſt, quæ ex altera de duabus huc contendit; ſed beatior longè illa eſt, quæ meliorem obfirmat; quacumq; uerò uia ad hanc currant uirgines, id omnibus peræque curæ ſit, ut ſine reprehenſione in curſu incedant: ut ſponſo ſponſam ab omni labe remotam coniungentes, de ipſius gratiarum fonte uberius, et ſplendidius in cœlis hauriant.

Hæc tibi, ò ſacrum caput, ad cognitionem ueræ pulchritudinis, quæ ex uirginitate eſfloreſcit, pro temporis ratione conſcripſi; nec ea è

ſacris tantum libris, ſed etiam ad imitationem ſapientiſsimi Pauli, qui uult nos omnem noſtrum intellectum in captiuitatem reducere ad obediendum Chriſto, de profanis excerpſimus, dum omnes Chriſti diſcipulos ad continentiam informare conamur. etenim ſapientes Gentiles cum multa uoluptatis capita, noſtramque pugnam aduerſus eandem ſub cuiuſdam figuræ inuolucro ſignificare uellent, Hydram, uniuerſam nimirum corporis uoluptatem, animal de ſerpentium numero multiforme, quod in palude latitaret, naturæ rationem ſecuti confinxerunt. et ſi quis eius caput recideret, tria uice unius exerere tradiderunt. ſin autem ſemel ab ijs, quæ urunt, eſſet eliſum, numquam amplius quidquam exiſtere, prudenter ſanè docuerunt. Nam cum uniuerſa uoluptas in craſſa corporis natura, tamquam ſerpens quidam in palude continenter habitet, ac per unumquemque ſenſum, quaſi caput, ab imo per uiſum, guſtum, uariasque et multiplices uoluptates unam tantum efferat, ſi fructu et ſatietate unumquodq; caput eius ſuauitati, quæ exinde elicitur, amputare uelimus; non tam iam excitam tollimus; quam

plures pro una hoc ſectionis modo reſurgere faciemus. ſin autem exſurgentem continentia, ceu quodam cauterio contuderimus, ſemel eliſa numquam amplius caput extollet. Qui enim, inquiunt, uoluptatem exempli cauſa, quæ guſtu percipitur, uelit extinguere, ſeſe eius dulcedine ſaturando, non magis eam demit, quàm ex eiuſmodi fruendi modo latiores ei feneſtras ad concupita patefacit. qui uero ſubtrahendo, quæ illam iucundè mouent, eam continentia, uelut igne uſtularit, cum optata non aſſequatur, ſemel ſublatam nihil poſtea poſſe declarat. Hinc fit, inquiunt, ut futilis in re noſtra, uel potius non honeſta ſit illorum oratio, qui abſolutè cenſuerunt, appetitum noſtrum nihili facere quæ, ſunt parata, et in medio poſita. Iacet enim quodammodo, et in promptu eſt hæc guſtatus uoluptas, quod ad illud attinet, quo perfrui pro arbitrio poteſt. Sed cum in perfruendis ijs rebus, quibus animum intendit, immoderata licentia ſemper uti conſueuerit, intemperantius, ad quod concupiuit, hac poteſtate multis modis impellitur. Quare non ſic ſingula uoluptatis capita oportet ancidere; ſed ſic, ut forti inuictoque

animo nihil ei ſuaue, nihil dulce concedamus: et hunc quidem exercendi modum nobis diuina lex, cum pro ſacerdotio apud ſapientiſſimum Moyſen uitulo litaretur, ex ea membrorum exuſtione ſatis naturali ratione ſubdicauit, quæ iecoris fibram, non totum iecur, adipem, quo uenter integitur, non ipſum uentrem; renum autem non adipem ſolum, ſed renes ipſos cum adipe comburi iubet. Cum enim iecur libidinis ſedes ſit; (unde de illo qui
„ luxus iaculo confixus fuerat, dictum eſt; Eris
„ ſicut ceruus ſagitta perculſus in iecore) eam ſolum cupiditatem, quæ eſt ad peccandum procliuior, in qua fel etiam reperitur, tamquàm aliquam fibram iubet incendere, reliquas autem partes felle, atque affrenata appetentia uacuas ad bonarum rerum deſiderium in ſua natura retinere conuenit. omne autem ſuperuacuum pleno de uentre manans, cuius opimitate hebetatur ingenium, recidere, ac neceſſarium ſolum ſeruare. In renibus autem non abdomen ſolum, ex quo magna uis ſeminis ad intemperantiam erumpit, ſed ipſos etiam renes ſanctè riteque litare oportere docuit. quo facto, et uictus neceſſitatem,

et bonarum rerum ſtudium, ac temperantiæ nitorem naturæ maximè conuenienter indicauit. Quoniam enim uix eſt, ut ſine cibo uitam in hoc corpore traducere poſsimus, miniſtrum alimentorum uentrem ab omni edacitate ſemotum relinquit, et adipem tantum quo ille obducitur, adimit. Rurſus quia fieri non poterat, ut aliquam bonarum artium diſciplinam ſequeremur, niſi naturali aliquo impulſu ad eas feramur: peruerſam quidem appetitus ſpeciem, quaſi fibram cum felle reuellit, optimum autem cupiditatis genus, quo ad uirtutem accendimur, purum nobis ſinit. in renibus uerò quia neque ad uictum, ut uenter, neque ad inflammationem neceſſarij ſunt, præterquam ad excitandum unicum coëundi appetitum; non adipem dumtaxat, ſed ipſos etiam renes igni ſubijcit. quia difficile factu non eſt, ut quis ſine renibus, hoc eſt ſine nuptijs uiuat, et uirginalem, cœlibemque uitam Angelis non inferiorem in hoc humano æui curriculo tranſigat. Quorum omnium hæc ſumma eſt, ut omni ſapientia inſtructi, tamquàm contra multorum capitum belluam prudenter obſiſtamus, nec ab-

ſcindendi

85

ſcindendi prætextu emergentia per ſenſus capita ſic irritemus, ut multo plura reſurgant: ſed animi conſtantia, et intento continentiæ robore fortiter exuramus, corpora noſtra ſacram uictimam, et Deo acceptam non aliter, quàm uitulum pro ſacerdotio offeramus, ac modo effuſam cupiditatem non ſecus ac fibram, modo ciborum ſuperuacaneum, ceu adipem, quo uenter obtegitur, modo omne prorſus nuptiarum deſiderium, ut renes cum adipe, à quo illis ſemen ſufficitur, diuino continentiæ igne conſumamus; ut iuxta propoſitum uirginitatis ſcopum, cum omni praua appetentia, omnique uoluptate ſuperiores in hoc ſtadio decurrendo nos oſtenderimus, decreto certantibus præmio, et immortalitatis corona digni iudicemur à CHRISTO IESV, per quem gloria patri cum ſpiritu ſancto in ſempiterna ætatum, ſæculorumque memoria. Amen.

FINIS.

ORDO NOTARVM, QVAE ſingulæ impreſſæ ſunt ſingulis duernionibus.

★ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X.

PERMISSV . PATRVM
QVI . DIVINAE . RELIGIONI
SANCTISSIME . TVENDAE
CONSERVANDAE . QVE
PRAESVNT
P. GOTHARDVS . PONTIVS
EXCVDEBAT . MEDIOLANI
KAL . OCTOBRIS . ANNO
∞ D LXXIII

ERRATA ANIMADVERSIONE digniora, quæ operarum incuria irrepſerunt, ſic emendato.

Char.	ver.	pro	repone
1.	10	Si quidem	hi quidem
1..	7	re	ræ
2.	8,9	di-ſcupiat	diſ-cupiat
	23	intidiſsimũ	nitidiſsimũ
2..	22	propſitam	propoſitam
3.	24	uolucrum	uolucrium
3..	14	mutuari	mutuam
	22	eſtro	œſtro
4.	5	Sed	ſed
	6	Sic	ſic
4..	1	& dum uidetur,	& dum uidet, & dum uidetur
	8	affirmari	effeminari
	15	uiciſim	uiciſsim
	19	quoniam	quanam
	22	accerrima	acerrima
5.	21	cognita	cognata
5..	8	fluentem	fluentum
6.	20	confudit	confundit
6..	13	titilationẽ	titillationẽ
7.	9	guſtſi,geſtum,	guſtum genitabilesq.
	15	ſuum	ſuam
	12	tactum	tactuum
7..	18	tamq.	tamquam
8.	6	exprobans.	exprobrans
	15	æſtuante ad	æſtuante hu-more ad
	21	diliciarum	deliciarum
8..	3	ut cum	ut eum

Char.	ver.	pro	repone
8..	24	pretendas.	pertendas.
9.	6	famæ	fame
	18	nimium	nec nimium
	21	conuenit	conuenit,
10.	5	uidelicet,ſi,	uidelicet,hi,
	20	bere?	beatur?
10..	12	confin	confrin-
	19	concinum	concinnum
11.	22	habetat	hebetat
11..	13	ſitatis	ſitaſtis
12..	18	imunitate	immanitate
13.	15	ea fine	ea fini
14.	5	Sic	ſic
	7	Sed	ſed
	11	petitione.	potione
	25	ſeptum	ſeptam
14..	14	Egregie	egregie
	23	obitu	obtutu.
15.	13	caracteres	characteres
15..	23	afferantur	efferantur
16..	4	eiuſmet	tuiſmet
	24	calidior	callidior.
17.	20	minati	minari
17..	5	præſſerit,	preſſerit,
18..	8	tælum	telum
	17	ſcenderit.	ſcenderit,
20.	6	uero quæ	uero, dum
	20	puchritudis	pulchritudinis
20..	3	Sin autem	ſin autem
	15	ilicẽ ſtudioſẽ cõcinant,	illicẽ ſtudioſe cõcinnãt,

Char. ver. pro	repone
21. 23 fabricatiq;	fabricariq;
24 ornati	ornari
21.. 16 Sed	ſed
22.. 2 iuri	uiri
5 quibuſcũq;	quibuſcum
23. 3 uirginis	uirginum
5,6 circu-meũt,	circũ-eunt,
7 perfluunt	perfundunt
23.. 16 enm	cum
21 neceſſario;neceſsitatis	neceſſario exprimat;neceſsitatis
24. 10 opportet.	apportet.
14 Ponne	Pone
17 obſeruet	obſtruet
24.. 11 ſponſus	ſponſos
15 tebus	rebus
17 At ille	Ac illæ
25. 25 cogitationes	cogitatione
26. 20 cutis	curis
26.. 7. iuri	uiri
12 & in ſui,	& in ſui
19 obſeruãtur	obuerſantur
27. 18 iu	in
19 iuri	uiri
21 ſuſpitijs	ſuſpirijs
27.. 12 epitphalamium	epithalamium
28. 16 quidẽ,ſe	quidẽ,quæ ſe
28.. 13. ſimilimam	ſimillimam
29. 3. cum	cum
12 commiſsit	commiſit.
29.. 4 Sed	ſed
7 præmatur	prematur
25 in decoro	indecoro

Char. ver. pro	repone
30. 3. tantiſm cœterasq; peccunias	tantum cœterasq; pecunias
4 animi	nihili
30.. 8 dignus,	dignus, qui
31. 4 negliget.	negligat.
5 hominem	hominum
9 Bonum	bonum
18 ſerpat.	ſerpat;
31.. 11 mortalitatẽ	ĩmortalitatẽ
15 pergræcati	pergræcari
25 ciuſmodi	cuiuſmodi
32. 10 linguæ	lingua
22,23 perpetran-tur	ꝑpetrãt
33.. 14 unius	unus
24 tamen.ſibi	tamen ſibi
34.. 19 Lumine	lumine
35. 3 Lucem	lucem
13 Sed	ſed
35.. 5 deffendunt	defendunt
12 Luminoſa	luminoſa
19 oculis ſubiecerit,	oculis ſe ſubiecerit,
20 . Sed	; ſed
36. 10 adulterium	adulteram
16 adduxit:	adduxerit:
36.. 8 Sic	ſic
37. 5. deſiſcat	deſiſtat
6 Sic	ſic
16 Sic	ſic
38. 23 depræcan	deprecan
38. 5. Sic	ſic
11 ræ-	re-
39.. 10 deſcrimine.	diſcrimine
13 demonum	demonum

Char. ver. pro *repone*

41. 1 quibunſcum quibuſcum
3 miniſtris, miniſtris,
18 qualiſnam. qualiſnam
18,19 loqu- ũtur, loquũ- tur,
21 Sed ſed
41.. 26 Sed ſed
42.. 14 immanitate humanitate
22 Sed ſed
43. 4 pere pere,
4 Sed ſed
14 Sin ſin
15 ſublãdiatur ſubblãdiatur
17 Sed ſed
44.. 6 ille illæ
8 offitium officium
45.. 24 eſtratum ſtratum
46. 2 ſint ſint,
7 ſit ſint
16 nam ſi nam hi,
47. 4 Luxuriæ luxuriæ
47.. 2,3 hu- ic huic
25 adulteres adulteres,
48.. 10 quieuerit, quieuerit
22 uerus. uerus
49. 6 nati nari
7 anima. anima
10 ſtata. Licet ſtata, licet
23 Libidiniq; libidiniq;
49.. 12,13 Humi potius ſerpe- re, quo- ſcũq; | humi po tius ſerpere quoſ- cũq;
50. 5 uera ueræ
14 At qui At, quæ
25 leui Leui
50.. 13 ad omnes ad omne
23 uirulentor uirulentor.

Char. ver. pro *repone*

51.. 10 iuxta iuſta
15 qui nos ſub accuſet, | quis nos ſubaccuſet,
51.. 16 ſimulat membris | ſimu lac membra mẽbris
52. 18 Sic ſic
53. 16 maneum mancum
53.. 23 hippocriti hypocriſi
54. 1 haneſta honeſta
22 diuerſati diuerſari
55. 20 lineamẽtis. lineamentis,
55.. 1 repreſẽtant. repræſentãt.
56. 7 effugiem effigiem
25 tatis tatem
57. 1 tatum tatem
14 iniquam inquam
57.. 2 in dolẽtiã indolentiam
59. 3 ipſe ipſæ
9 come cum
60. 8 aſſentientis aſſentientes
60.. 20 effectum affectum
22 ſe daret ſedaret
61. 9 Angelis Angelis,
11 homines hominum
23 Si ſi
61.. 18 iuſtare inſtare.
62. 19 par- paru- (nib.
63.. 18 beatitudinis beatitudi-
64. 23 cupiunt capiunt,
65. 7 ceneres? cerneres?
65.. 4 inupta innupta
66.. 8 cum cum
18 & uniuſmodi | & non nniuſmodi (ſed
25 ſtringãtur, Sed ſtrĩgãtur,

Char. ver. pro	*repone*
67. 23, 25 Sed	ſed
67.. 11 iugalet	iugulet
19 abiſſum	abyſſum
68. 4 cælum?	cælum;
68.. 5 menia	mœnia
69. 18 ſtetit	ſtetit;
23 quæ	qui
69.. 23. iteratio	iteratò
24 acresq; teſt.	acresq; ſe
70. 15 dicere	dicere? (teſt.
24 poſt	poſt,
70.. 4 pertam	petam
71.. 18 clamant;	clamat;
72. 9 afferatur;	efferatur;
52 cticonm	ctionem
21. concitati	concitari
73. 6 ubi	ſibi
73.. 16 cum hoc	ſecum
74. 24 inſerijt,	inſeruit,
74.. 18 natura.	natura eſt.
75. 16 labefaceat	labefactat
76. 10 continētia	continentiā
14 animam	animum
15 ſuſpitiones	ſuſpiciones
77. 8 ſum-	ſu-
78. 1 fati.	fari.
14 uerum	utrum
24 retroſilire	retroreſilire
78.. 8 perſligent	profligent
80. 5 ſub-	ſubin-
16 affrenata	effrenata
20 habetatur	hebetatur
80.. 10 feramur	ferremur
14 nit	uit.